CHRISTIANI VLRICI GRVPEN

TRACTATIO DE VXORE ROMANA

CVM EA,

QVÆ IN MANVM CONVENIT,

FARRE, COEMTIONE ET VSV,

TVM ILLA,

QVÆ VXOR TANTVMMODO

HABEBATVR.



HANOVERÆ

APVD NIC. FOERSTERVM ET FIL.

MDCCXXVII.

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE

PRINCIPI

DOMINO

FRIDERICO LVDEVICO

AVGVSTISSIMI

MAGNÆ BRITTANNIÆ REGIS

GEORGII

NEPOTI,

AVGVSTI WALLIÆ PRINCIPIS

GEORGII AVGVSTI

FILIO,

IVVENTVTIS PRINCIPI,

IN

SPEM REGNI ATQVE ELECTORATVS

NATO,

PIETATE DEVOTA,

ET EA QVA DECET ANIMI

SVBMISSIONE

L. M. Q.

D. D. D.

CHRISTIANVS VLRICVS GRVPEN.

SERENISSIME, CELSISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME.



Enit jam uxor Romana, CELSISSIME PRINCEPS, & *quidem ea, quæ ex jure Quiritium*

ſive viro in manum conveniebat Farre, Coëmtione & uſu; ſive, ſine in manu Conventione uxor tantummodo habebatur. Venit ad Te, DOMINE CLEMENTISSIME, *Romani Imperii Principem, cujus Clementiæ dicata, dedicata.*

De uxore, quæ ex jure Quiritium erat uxor, cum qua viro connubium eſſe poterat, ſive jure ducendi uxorem facultas, libro de Orbe Romano *dedita opera egregie, ut ſolet, tractavit Baro Spanhemius; de*

de ea vero, quæ in manum viro convenit, & marito fuit filiæ loco, *cum liberis suis quasi* soror *civilis, specie uxorum plane singulari, egerunt viri docti parcissime, pauci satis digne, satis recte.*

Atque vero omnino confido, CELSISSIME PRINCEPS, *pro Tua summa Clementia, quam mihi & civitati, cui Consul præsum, benignissimis verbis testatus es, non ingratam fore hanc meam de uxore Romana opellam, nec indignas* TVO EXCELSISSIMO NOMINE,

cui consecrantur, habitum iri has, quas in publicum jam produco Romanas uxores ex Quiritium jure, posteaquam & inter easdem & uxores Augustas Cæsarum, nimirum Crispinam Imp. Commodi, Faustinam Imp. Aurelii, cum Principibus Augustis dextras jungentes, ex nummis dedi conspiciendas, & ipsos Cæsares Pontificis Maximi partes explentes, ostendi nubentium dextras in celebritate nuptiali jungere.

Mitto uxorem Romanam, concipioque votum, ut moris aliquando

apud

apud Romanos erat, compressis digito dextræ labris: solebant Romani supplicantes interdum tacita vota *murmurare, sive quemadmodum Seneca ait*, tacite & intra semetipsos precari. *Liceat ergo nobis quotquot* GLORIOSISSIMO REGI GEORGIO MAXIMO BEATISSIMOQVE PRINCIPI *sumus subjecti, adhuc mente pia atque devota tacite & intra nosmet ipsos Deum præcari, & cum nobis aliquando datur in* AVGVSTA PROPAGINE REGIÆ STIRPIS *intueri,*

tueri, quemadmodum in nummo Imp. Commodi & Crispinæ, CAPITA SE MVTVO RESPICIENTIA & DEXTRAS SE INVICEM IVNGENTES, *sic tandem, ut in Nummo* Aurelii Cæsaris, *solvere*


VOTA PVBLICA.

Sic voveo

SERENISSIME PRINCEPS, AVGVSTI TVI NOMINIS

Scrib. Hanoveræ
d. XXIX. Mart.
MDCCXXVII.

devotissimus subjectissimus
CHRISTIAN. VLRIC. GRVPEN.



LECTORI.

DOctrinam veterum de utraque uxorum forma, una earum, quæ in manum convenerant, Farre, Coëmtione & Usu, altera earum, quæ sine in manu Conventione uxores tantum habebantur, ipsius Servii Boëthiique commentis contaminatam, atque undique etiam recentiorum interpretum, qui eosdem sequuntur, erroribus implicatam, paucissimi satis recte & satis condigne proposuerunt. Atque is quidem labor viro Illustri Christiano Thomasio Herculeus visus, cum Jure-Consulti, qui hic glaciem frangere aggressi sunt, diligentia sua rem magis obscuram & intricatam reddiderint. Vir summus Gerardus Noodt in Comm. ad Digesta de Ritu Nuptiarum quamvis potuisset, pro summa, qua pollet, antiquitatum Romanarum scientia, utrique uxorum Formæ multum

tum lucis affundere, acquievit tamen in Rævardi, Sigonii & Brissonii laboribus, ut his nihil nisi laudem eruditæ diligentiæ adderet. Verum quanquam venerari omnino debemus horum industriam, & cumprimis laudanda est opera Brissonii, Pithœi & Hotomanni, quam in illustranda conventione in manum præstiterunt, acquiescere tamen in eadem haud quaquam possumus, posteaquam in multis ab ipsis erratum est, quæ & juris rationi repugnant, nec veterum auctoritate comprobantur. Putat Thomasius Franciscum Hotomannum atque Balduinum, licet alias inter Juris-Consultos humaniores de Antiquitatibus Romanis fuerint solliciti, prætermisisse tamen eam doctrinam, & data quasi opera evitasse, quod putaverint haud dubie, obscuritatem hic tantam subesse, ut difficultates nequeant superari. Sed omnino & tetigerunt hanc doctrinam cum Hotomannus tum Balduinus, ille Antiquitatum Romanarum *Libro* 2. & *tit. Inst. de SC. Tertull.* hic in *Scævola*, quamvis non ubique recte in hoc argumento fuerint versati.

Ten-

Tentavit vir illustris Christianus Thomasius doctrinam inconditam in ordinem redigere, *Dissertatione de usu practico* circa nuptias, in qua quamvis multa docte a viro summo sint disputata, ac plurima diligenter collecta, quæ alibi frustra quæsiveris, non potuit tamen nobis cum viro egregio convenire, aliter constitutis conventionis in manum modis, forma vi atque potestate. Video quoque, sed ne dissimulem nimis sero Virum clarissimum Heineccium, Antecessorem in Academia Franequerana dignissimum, Jure-Consultum ad gloriam veterum adscendentem, de uxore quæ Farre, Coëmtione in manum convenit, & de illa quæ usucapta, docte disseruisse, *I. Antiquit. Roman. 10.* & bene omnino habet, quod eosdem coëmtionis effectus, qui sunt confarreationis, confarreationem omnibus civibus communem, ex farreatis nuptiis patrimos & matrimos natos, farre uxores in viri potestatem transiisse, & agnoscit & probat, quæ quidem omnia a nobis in ipsa tractatione de uxore Romana latius sunt deducta.

Quod

Quod tamen egregio viro visum (1) jam ante Romuli tempora molæ salsæ usum, in sacrificiis, in Latio, fuisse receptissimum ducto argumento ab *immolandi* verbo ex loco Varronis apud Servium *Æneid. 1. v. 541.* (2) in farreatis nuptiis tam necessariam fuisse domum deductionem, ut, quia fixa erant Penatium sacra & hereditaria, nemo per confarreationem uxorem accipere posset, nisi cui esset domus ac lararium, in quo uxor cum eo communibus sacris uteretur. (3) Sponsum coëmtum esse æque atque sponsam. (4) Nonium *XII. 50.* & Cic. *de Oratoribus I. 56.* de coëmtione uxorum sensisse, & in solennibus hujus coëmtionis verbis mulieres Cajas vocatas Autore Cicerone *pro Muræna XII.* procul dubio ad Formulam, ubi tu Cajus ibi Caja, respiciente. (5) Senes coëmtionales in coëmtio adhibitos fuisse testes, libripens & qui alias in mancipationibus adesse solerent. (6) in Coëmtione juxta Nonium, primo asse quem manu teneret, virum, secundo, quem in pede haberet, & in foco Larium poneret, Lares & Deos Penates coëmisse, tertium

viro

viro aſſem, quem in marſupio condidiſſet, tum demum reſignaſſe, cum in compito vicinali (quod interpretatur cum Viro Illuſtri Gundlingio *diſſ. d. Coëmtione c. 1. §. 14.* MACERIAM IN HORTO) in domum mariti tranſiret & materfamilias efficeretur. (7) coemtionem in confarreatione adhibitam tanquam ritum acceſſorium & poſtremis temporibus, neglecto primario confarreationis ritu retentum ſolum acceſſorium ſ. coëmtionem. (8) uſu omnino non in manum uxores conveniſſe; ea quidem pleraque omnia a nobis aliter ſunt propoſita.

Probamus confarreationem a Romulo inſtitutam, ſic tamen ut fidem Plinii haud damnemus. Equidem ſi *immolandi* verbo (vid. Varro *II. de Re Ruſtica*) velimus ſervire, immolare eſt farre MOLITO hoſtiam adſpergere, nomen MOLÆ enim, qua frumenta franguntur, FARRI MOLITO tributum. Sed tamen & generatim *pro ſacrificare* veteres dixerunt *immolare*, quo quidem ſenſu Cato *d. l.* etiam Græcos, qui integras nec molitas fruges liba-

libationibus affundebant, porcam immolaſſe dixit, & quamvis farris uſum ante Romuli tempora receptum fuiſſe fateri neceſſum habeamus, *farris torrendi* atque *molæ ſalſæ conficiendæ rationem* haud dubie Numæ debemus.

Deductionem in confarreatis nuptiis neceſſariam fuiſſe nullis idoneis rationibus comprobabitur, oſtendimus eandem quibusvis nuptiis communem, ſic tamen, ut ſolo conſenſu ſine deductione matrimonium conſtet, comprobantibus Alberico Gentili *Lib. II. de nupt. c. 5. & c. 17.* & fratre Scipione Gentili *de Donat. inter virum & uxor. L. IV. c. 1.* diſſentiente Hotomanno *V. Obſ. 6.* atque is erat effectus omnis conventionis in manum, & generatim omnis patriæ poteſtatis, ut, quotque perſonæ unius parentis eſſent ſubjectæ poteſtati, Deorum aras uno eodemque communi ſacrificio honorarent, & in univerſum publice privatimque iisdem ſacris adſtringerentur, quibus teneretur familiæ Princeps quæque privata religione ſibi conſtituiſſet: Et quid quæſo domus atque lara-

ra-

rarium sive ad conventionem in manum perficiendam sive ad faciendas nuptias vulgatas potuit attinuisse? DVCERE DOMVM est ducere eo ubi maritus HABITAT *L. 203. de V. S.* & deductio fiebat in mariti domum quasi in DOMICILIVM MATRIMONII *L. 5. d. R. N.* Domicilium sicuti ubicunque poterat constitui, ita & lares ad constituendum domicilium poterant ubique collocari; etenim intelligebatur, quis eo in loco habere domicilium, ubi quis LAREM rerumque & fortunarum suarum summam CONSTITVISSET *L. 7. C. de Incolis* & habere domum illic ubi LAREM MATRIMONIO COLLOCASSET. *L. 1. §. 2. ff. de Agnosc. & Alendis lib.* Difficile sane est, sine domicilio esse quemquam, notante Ulp. *in L. 27. §. 2. Ad. Munic.* Sed quod si is, qui est sine domicilio, puta qui, domicilio relicto, navigat, vel iter facit quærens, quo se conferat atque ubi constituat lares rerum & fortunarum summam v. d. *L. 27. §. 2.* potuit habere justam uxorem, & liberos ex eadem na-

 tos

tos in poteſtate, quod nemo negat, quidni & ei, qui ſine domicilio eſt, converniri in matrimonium atque manum ſimul ſive poteſtatem potuiſſet? Equidem lares familiares domibus præerant Cic. *pro Quint. c. XXVII.* Suetonius *Calig. V.* Plaut. *Aul. Prol. n. 2.* & juxta focum dii penates poſiti erant Laresque inſcripti, vetus Schol. *Horat. Ep. II.* paterfamilias ubi ad villam veniebat larem familiarem ſalutabat Cato *de Re ruſt. c. II.* Votum his factum exſtat in Cippo prope arcem in Sabbaria Hungariæ apud Thomaſinum *de Donariis c. VIII.* mancipia manumiſſa donabant laribus ex voto catenam. Horat. *Sat. I. I. 65. 115.* ſupplicabant Thure & vino coronis imponendo; pauxillum cibi inferendo de menſa in focum Plaut. *d. l.* Tibull. *I. I. 31.* Perſ. *Sat. III. 26.* ſacra paterna filii a patribus quaſi per manus accipiebant & ipſi poſteris pari cum cura tradebant Dionyſ. *L. I.* Neque vero apud Romanos ſacra erant ædibus affixa, ſed ex jure Pontificio iis perſonis adjuncta, ad quos morte patrisfami-

familias pecunia perveniſſet vid. *C. 5. §. 27.* ideoque & arrogati, qui in alienam domum, in aliena ſacra, puta patris arrogantis tranſibant, & propria ſacra, quæ, ut patresfamilias habebant, una cum bonis ad eum, qui adoptabat, transferebant arg. *L. 15. de Adopt.* ita enim adoptare debebat, ne quid de ſacrorum religione minueretur Cic. *pro Domo.* Denique & filio uxorem in manum conveniſſe, quamvis neque domum neque lararium ſibi habuiſſet, ſed eſſet in domo atque ſacris parentis, eſt certiſſimum. De *ſponſo* in conventione in manum per coëmtionem *non coëmto:* loco *Nonii & Ciceronis* de Orator.: de *Caji & Cajæ appellationibus:* de *ſenibus Coëmtionalibus*, nihil omnino ad hanc, de qua agimus, coëmtionem facientibus de *conventione in manum uſu*, de confarreatione & coëmtione *diſtinctis* conveniendi in manum modis dixi ſententiam, & ne nunc quidem muto. Vereor etiam, ne non explicari Varro ea ratione poſſit, qua explicarunt Gundlingius & poſt illum Heineccius, nihil

enim apud Varronem de *coëmtis laribus*, *eo asse quem in pede haberet*, & *in foco larium poneret*, primum assem emendi causa dedisse, an *emendi mariti*, non expedit Varro, secundum assem non inquit emendi causa dedisse, sed in foco larium posuisse, quem in finem, *an emendi? an supplicandi causa?* non addit: deductam denique aliquando in quibusvis nuptiis in hortos fuisse sponsam, ibique separata diæta sive Maceria egisse, antequam nuptiæ fierent & in domum deduceretur ex Terentio Adelph. *Act. V. Scen. 7;* & *L. 66. ff. §. 2. de Donat. int. virum & uxor.* recte collegerunt viri eruditi Petrus Perrenonius *I. Animad. 6.* Gundling. *diss. de emtione uxor. c. l.* Heineccius *d. l.*

Sed eandem deductionum in hortos deductioni in domum præcessisse semper, & debuisse præcedere negamus, nec ex iis locis potest evinci. Marceriam vero idem fuisse quod compitum vicinale, non significarunt sive Terentius sive Scœvola.

Et

Et sane cum compita fuerint VIARVM CONCVRSVS, loca in quadriviis quasi turres PER OMNES QVATVOR PARTES PATENTES, in urbe VIISQVE PVBLICIS Vetus interpres *Persii Sat. IV. 27.* ubi viæ competebant vid. *Isidorus XV. Origin. 16.* Salmasius *Exercit. Plin. in Solini Polyhistora p. 232. lit. B.* in quibus sacrificabatur laribus Varro *L. V. d. LL.* Ovid. *Fast. II. v. 616.* VIALIBVS LARIBVS Servius *in Æneid.* & notum sit ex Dionysio Servium Tullium per omnia COMPITA jussisse a VICINIA laribus propitiis sacella exstrui, & lege statuisse, ut quotannis sacrificia illis fierent (FESTAQVE COMPITALIA, autore Festo *h. v.*) singulis familiis liba conferentibus, & de sacris in compito laribus faciendis præceperit. Cato *de Re Rustica: Rem divinam nisi* COMPITALIBVS *in* COMPITO, *aut in foco, ne faciat*, in quibus compitis rustici solebant finita agricultura sacrificia celebrare, juga fracta ab agricolis poni ve-

tus interpres Perf. d. l. ubi & pagani agreftes buccina convocari confueverant inire concilia Philarg. *Georg. II.* non video qua ratione diæta aut maceria five fepimentum, quo in fepiendis fundis aut hortis utebantur, fingi compitalia poffint. Diæta erat habitatio five manfio in hortis, dicitur DIÆTA SEPARATA d. *L. 66. §. 1.* DIÆTA AMOENA *L. 13. §. 8. de Ufufr.* DIÆTA IN VXORIS HORTIS quos in dotem acceperat *L. 43. §. 1. de Legat. 1.* Diætas in hortis, villæ Laurentinæ Plinius *II. Ep. 17.* cum gratiam villæ & opportunitatem loci defcriberet, memorat *duas*, quarum feneftris SVBIACERET VESTIBVLVM VILLÆ, atque *aliam* in CAPITE XYSTI, in qua *heliocaminus*, quæ *tectum* & duas *cathedras* caperet, atque addit Diætæ junctum *cubiculum noctis & fomni* cubiculo applicitum *hypocauftum.* Vid. Antonii Velferi Epiftola de Diæta apud Solerium *de Pileo pag. 571.* Noodt. *I. de Ufufr. II.* Briffonius & Hotomannus,

Piti-

Pitiſcus in *v. Diæta*. MACERIA autore Varrone de *Re Ruſtica I. 14.* eſt *fabrile ſepimentum* factum e lapide, aut lateribus coctilibus, aut lateribus crudis, aut ex terra & lapillis compoſitis, dicitur vicinus MACERIAM DVCERE precario, MACERIAM PONERE apud Papinianum *L. 17. comm. præd.* ſimili ratione, qua dixerunt Virg. *Æneid. I.* Vitruvius *Lib. V. cap. ult.* murum ducere. Maceria ducebatur circa hortos, hinc eſt MACERIA HORTI apud Livium *XXIII. 9.* MACERIA IN HORTO apud Terent. *Adelph. V. 7. 10.* & monumenta atque ſepulchra maceria erant circumſepta *L. 73. §. 7. de contrah. emt.* Ælianus *VIII. Variar. Hiſt. 16.* Sueton. *in Nerone cap. 33.* DIRVTAM autem horti MACERIAM fuiſſe, cum ex ſeparata horti diæta virgo domum ducenda eſſet, ex verbis Demeæ apud Terentium, ad conſequentias producendum non erat, maxime cum rationem diruendæ maceriæ ſubjunxerit, etenim *multo rectius eſt*, inquit, *quam*

illam PVERPERAM *hac nunc duci per viam* ÆGROTAM. D. MACERIA ſive pariete VILLARVM vid. Nonius Marcellus *in h. v.* de MACERIIS ſive parietibus longis, QVIBVS VINEÆ CLAVDVNTVR. Iſidor. *XV. orig. 9.* Igitur cum aſſem tertium, quem in ſaccipeſio condiderat, in compito vicinali ſoleret reſignare, i. e. deponere, explicante Heineccio: magis eſt ut intelligamus compita a vicinia laribus extructa, ubi viæ competebant, in quibus laribus ſacrificabatur & conſuerant aliquando poni & alia e. g. juga, non horti Diætam aut Maceriam ſive ſepimentum vid. in locum Varronis apud Nonium *XII. 50.* Sigonius de *Antiquo jure civium Roman. cap. IX.* Aleander *ad Caji Inſt. Lib. II. 8.* Lipſius *V. Ant. Lect. 22.* Antonius Aug. *de LL.* Gravina *de Orig. juris pag. 396.* Laurent. *Polymathia III. 8.* Conanus *VIII. Comm. 3.* Salmaſius *Hiſtoria Aug. p. 353.* Thomaſinus *de Donariis c. XIII. in fine.* Briſſonius *de Ritu nupt.* Thomaſius

masius *d. diss.* de compitalibus edictum prætoris est apud Gellium *X. 24.* vid. Petrus Morestellus *de Feriis Rom. Dial. XI.* & Pithoeus *I. Adverʃ. 9.*

Interim posteaquam omnino intererat cognosci intelligique utramque uxorum formam, utpote rem in Jurisprudentia elegantiori sciri dignissimam, a præclaris ingeniis investigatam quidem, a paucis vero recte demonstratam, operæ pretium me facturum esse existimavi, doctrinam de uxore Romana & utraque ejus specie denuo ex bonis auctoribus dare explicatam, cujusque sententiæ conferre in medium argumenta, quæque plus minusve ad probabile accedat, viris doctis ad discernendum relinquere, quorum si quis norit rectius, docueritque melius, habebo cum meo tum jurisprudentiæ nomine, eas quas debeo gratias.

SERIES LIBELLI HÆC EST:

AGITUR

CAP. I.

De Uxore Romana ejusque duplici forma.

CAP. II.

De Conventione in manum generatim, quibusque modis fiebat.

CAP. III.

De Effectu Conventionis in manum.

CAP. IV.

De Conventione in manum Confarreatione.

CAP. V.

De Conventione in manum Coëmtione.

CAP.

CAP. VI.

De Conventione in manum usu.

CAP. VII.

De Uxore Tantum.

Dedi conspiciendos *nummos*, unum IMP. AVRELII ex *Solerio* in ipso libelli Titulo, alterum IMP. COMMODI ex *Spanhemio* ad *p. 131.* in quibus *conjunctiones per virginem Vestalem* sive *Flaminicam*, *junctæ dextræ*, *Flammeum* sponsæ, *& in manu sinistra sponsi Tabulæ nuptiales* repræsentantur; Adjunxi *p. 140.* partem monumenti inferiorem, quod Romæ fuit in Palatio Cardinalis Cæsii, & ex Boissardi *Antiquit. Tom. III. p. 59.* delineatum, Gruteri *inscriptionum T. II. p. 779.* quod quidem VOLVSIA SEVERA Conjux C. DOMITII C. F. PAL. VERI, marito fecit, in quo maritus & uxor *ad aram dextras* jungunt, atque *vir manu sinistra nuptiales tenet Tabulas*, haud dubie in fœderis conjugalis symbolum, at-

que

que gratam conjugii recordationem. Exhibui quoque *ad p. 193.* Marmor, quod Romæ apparuit in Templo D. Laurentii, ibique visum Casparo Bartholino bifariam. *Superius* est *Pighii*, quod ex ejus Schedis accuratissime delineari curavit Laurentius Begerus, in quod juxta numeros, quos curavi adponendos, dedi sive nostras sive Begeri explanationes; *Inferius* est *Jacobi de Rubeis*, quod ex ejus admirandis Romanarum Antiquitatum vestigiis edidit cum brevi Bellorii explicatione Casp. Bartholinus *de Tibiis veterum p. 233.* Posterius in quo multa supplevit artifex in comminiscendis iis, quæ mutila & manca deerant, serius paulum a me animadversum in Libro Bartholini de Tibiis veterum. Quare nunc hic adjungo breves in illud Bellorii notas, juxta numeros, quibus is figuras designavit; (I.) *Sponsus ac sponsa invicem* DEXTRAS IVNGVNT, *hæc palla seu* FLAMMEO VELATA, *ille* CAPITE DETECTO. (II.) IVNO PRONVBA *utrumque amplexa conjugio jungit stabili*

bili. (III.) HYMNÆVS *adest seu puer, genialem præferens facem.* (IV.) CAMILLVS ad aram *cum acerra* & (V.) TIBICEN *molle festumque canens.* (VI.) *Vir velato capite sacrificans e canistro promit flores, & poma quæ in nuptiis spargebantur.* Inde (VII.) *Mulier Turturem præfert maritalis fidei auspicium.* (VIII.) *Ad pedes ovis, sequitur* (IX.) *Mulier cum serto, quo postes ornabantur.* (X.) *Nuntius Laureatus manu tenet volumen nuptialis carminis.* (XI.) *Ultima est* CONCORDIA CVM COPIÆ CORNV, *seu Cybeles Mater, cujus vim generationi inesse credebant.*

Index alterius opera confectus, ejus, cujus cura & sphalmata sunt notata: mihi enim nunc quidem magistratum gerenti, & ad forenses strepitus, quasi ad Catadupa sæpius obsurdescenti, his emendandis non licuit immorari: & sane ubi ab autographo aliena manu descriptum, opus peregre imprimendum fuit, vix aliter fieri potuit, quominus sive describentium sive operarum incuria errores irreperent. Unum alterumque

enim apud Varronem de *coëmtis laribus*, *eo asse quem in pede haberet*, *& in foco larium poneret*, primum assem emendi causa dedisse, an *emendi mariti*, non expedit Varro, secundum assem non inquit emendi causa dedisse, sed in foco larium posuisse, quem in finem, *an emendi? an supplicandi causa?* non addit: deductam denique aliquando in quibusvis nuptiis in hortos fuisse sponsam, ibique separata diæta sive Maceria egisse, antequam nuptiæ fierent & in domum deduceretur ex Terentio Adelph. *Act. V. Scen. 7*; & *L. 66. ff. §. 2. de Donat. int. virum & uxor.* recte collegerunt viri eruditi Petrus Perrenonius *I. Animad. 6.* Gundling. *diss. de emtione uxor. c. l.* Heineccius *d. l.*

Sed eandem deductionum in hortos deductioni in domum præcessisse semper, & debuisse præcedere negamus, nec ex iis locis potest evinci. Marceriam vero idem fuisse quod compitum vicinale, non significarunt sive Terentius sive Scœvola.

Et ſane cum compita fuerint VIARVM CONCVRSVS, loca in quadriviis quaſi turres PER OMNES QVATVOR PARTES PATENTES, in urbe VIISQVE PVBLICIS Vetus interpres *Perſii Sat. IV. 27.* ubi viæ competebant vid. *Iſidorus XV. Origin. 16.* Salmaſius *Exercit. Plin. in Solini Polyhiſtora p. 232. lit. B.* in quibus ſacrificabatur laribus Varro *L. V. d. LL.* Ovid. *Faſt. II. v. 616.* VIALIBVS LARIBVS Servius *in Æneid.* & notum ſit ex Dionyſio Servium Tullium per omnia COMPITA juſſiſſe a VICINIA laribus propitiis ſacella exſtrui, & lege ſtatuisſe, ut quotannis ſacrificia illis fierent (FESTAQVE COMPITALIA autore Feſto *h. v.*) ſingulis familiis liba conferentibus, & de ſacris in compito laribus faciendis præceperit. Cato *de Re Ruſtica: Rem divinam niſi* COMPITALIBVS *in* COMPITO, *aut in foco, ne faciat*, in quibus compitis ruſtici ſolebant finita agricultura ſacrificia celebrare, juga fracta ab agricolis poni ve-

tus interpres Perſ. *d. l.* ubi & pagani agreſtes buccina convocati conſueverant inire conſilia Philarg. *Georg. II.* non video qua ratione diæta aut maceria ſive ſepimentum, quo in ſepiendis fundis aut hortis utebantur, fingi compitalia poſſint. Diæta erat habitatio ſive manſio in hortis, dicitur DIÆTA SEPARATA d. *L. 66. §. 1.* DIÆTA AMOENA *L. 13. §. 8. de Uſufr.* DIÆTA IN VXORIS HORTIS quos in dotem acceperat *L. 43. §. 1. de Legat. 1.* Diætas in hortis, villæ Laurentinæ Plinius *II. Ep. 17.* cum gratiam villæ & opportunitatem loci deſcriberet, memorat *duas*, quarum feneſtris SVBIACERET VESTIBVLVM VILLÆ, atque *aliam* in CAPITE XYSTI, in qua *heliocaminus*, quæ *tectum* & duas *cathedras* caperet, atque addit Diætæ junctum *cubiculum noctis & ſomni* cubiculo applicitum *hypocauſtum.* Vid. Antonii Velſeri Epiſtola de Diæta apud Solerium *de Pileo pag. 571.* Noodt. *I. de Uſufr. II.* Briſſonius & Hotomannus,

Piti-

Pitiſcus in *v. Diæta.* MACERIA autore Varrone de *Re Ruſtica I. 14.* eſt *fabrile ſepimentum* factum e lapide, aut lateribus coctilibus, aut lateribus crudis, aut ex terra & lapillis compoſitis, dicitur vicinus MACERIAM DVCERE precario, MACERIAM PONERE apud Papinianum *L. 17. comm. præd.* ſimili ratione, qua dixerunt Virg. *Æneid. I.* Vitruvius *Lib. V. cap. ult.* murum ducere. Maceria ducebatur circa hortos, hinc eſt MACERIA HORTI apud Livium *XXIII. 9.* MACERIA IN HORTO apud Terent. *Adelph. V. 7. 10.* & monumenta atque ſepulchra maceria erant circumſepta *L. 73. §. 7. de contrah. emt.* Ælianus *VIII. Variar. Hiſt. 16.* Sueton. *in Nerone cap. 33.* DIRVTAM autem horti MACERIAM fuiſſe, cum ex ſeparata horti diæta virgo domum ducenda eſſet, ex verbis Demeæ apud Terentium, ad conſequentias producendum non erat, maxime cum rationem diruendæ maceriæ ſubjunxerit, etenim *multo rectius eſt*, inquit, *quam*

 illam

illam PVERPERAM *hac nunc duci per viam* ÆGROTAM. D. MACERIA ſive pariete VILLARVM vid. Nonius Marcellus *in h. v.* de MACERIIS ſive parietibus longis, QVIBVS VINEÆ CLAVDVNTVR. Iſidor. *XV. orig. 9.* Igitur cum aſſem tertium, quem in ſaccipeprio condiderat, in compito vicinali ſoleret reſignare, i. e. deponere, explicante Heineccio: magis eſt ut intelligamus compita a vicinia laribus extructa, ubi viæ competebant, in quibus laribus ſacrificabatur & conſuerant aliquando poni & alia e. g. juga, non horti Diætam aut Maceriam ſive ſepimentum vid. in locum Varronis apud Nonium *XII. 50.* Sigonius de *Antiquo jure civium Roman. cap. IX.* Aleander *ad Caji Inſt. Lib. II. 8.* Lipſius *V. Ant. Lect. 22.* Antonius Aug. *de LL.* Gravina *de Orig. juris pag. 396.* Laurent. *Polymathia III. 8.* Conanus *VIII. Comm. 3.* Salmaſius *Hiſtoria Aug. p. 353.* Thomaſinus *de Donariis c. XIII. in fine.* Briſſonius *de Ritu nupt.* Thomaſius

masius *d. diss.* de compitalibus edictum prætoris est apud Gellium *X.* 24. vid. Petrus Morestellus *de Feriis Rom. Dial. XI.* & Pithoeus *I. Adverſ. 9.*

Interim posteaquam omnino intererat cognosci intelligique utramque uxorum formam, utpote rem in Jurisprudentia elegantiori sciri dignissimam, a præclaris ingeniis investigatam quidem, a paucis vero recte demonstratam, operæ pretium me facturum esse existimavi, doctrinam de uxore Romana & utraque ejus specie denuo ex bonis auctoribus dare explicatam, cujusque sententiæ conferre in medium argumenta, quæque plus minusve ad probabile accedat, viris doctis ad discernendum relinquere, quorum si quis norit rectius, docueritque melius, habebo cum meo tum jurisprudentiæ nomine, eas quas debeo gratias.

SERIES LIBELLI HÆC EST:

AGITUR

CAP. I.

De Uxore Romana ejusque duplici forma.

CAP. II.

De Conventione in manum generatim, quibusque modis fiebat.

CAP. III.

De Effectu Conventionis in manum.

CAP. IV.

De Conventione in manum Confarreatione.

CAP. V.

De Conventione in manum Coëmtione.

CAP.

CAP. VI.

De Conventione in manum usu.

CAP. VII.

De Uxore Tantum.

Dedi conspiciendos *nummos*, unum IMP. AVRELII ex *Solerio* in ipso libelli Titulo, alterum IMP. COMMODI ex *Spanhemio* ad *p. 131.* in quibus *conjunctiones per virginem Vestalem* sive *Flaminicam*, *junctæ dextræ*, *Flammeum* sponsæ, *&* *in manu sinistra sponsi Tabulæ nuptiales* repræsentantur; Adjunxi *p. 140.* partem monumenti inferiorem, quod Romæ fuit in Palatio Cardinalis Cæsii, & ex Boissardi *Antiquit. Tom. III. p. 59.* delineatum, Gruteri *inscriptionum T. II. p. 779.* quod quidem VOLVSIA SEVERA Conjux C. DOMITII C. F. PAL. VERI, marito fecit, in quo maritus & uxor *ad aram dextras* jungunt, atque *vir manu sinistra nuptiales tenet Tabulas*, haud dubie in fœderis conjugalis symbolum, atque

que gratam conjugii recordationem. Exhibui quoque *ad p. 193.* Marmor, quod Romæ apparuit in Templo D. Laurentii, ibique visum Casparo Bartholino bifariam. *Superius* est *Pighii*, quod ex ejus Schedis accuratissime delineari curavit Laurentius Begerus, in quod juxta numeros, quos curavi adponendos, dedi sive nostras sive Begeri explanationes; *Inferius* est *Jacobi de Rubeis*, quod ex ejus admirandis Romanarum Antiquitatum vestigiis edidit cum brevi Bellorii explicatione Casp. Bartholinus *de Tibiis veterum p. 233.* Posterius in quo multa supplevit artifex in comminiscendis iis, quæ mutila & manca deerant, serius paulum a me animadversum in Libro Bartholini de Tibiis veterum. Quare nunc hic adjungo breves in illud Bellorii notas, juxta numeros, quibus is figuras designavit; (I.) *Sponsus ac sponsa invicem* DEXTRAS IVNGVNT, *hæc palla seu* FLAMMEO VELATA, *ille* CAPITE DETECTO. (II.) IVNO PRONVBA *utrumque amplexa conjugio jungit stabili*

bili. (III.) HYMNÆVS *adest seu puer, genialem præferens facem.* (IV.) CAMILLVS ad aram *cum acerra* & (V.) TIBICEN *molle festumque canens.* (VI.) *Vir velato capite sacrificans e canistro promit flores, & poma quæ in nuptiis spargebantur.* Inde (VII.) *Mulier Turturem præfert maritalis fidei auspicium.* (VIII.) *Ad pedes ovis, sequitur* (IX.) *Mulier cum serto, quo postes ornabantur.* (X.) *Nuntius Laureatus manu tenet volumen nuptialis carminis.* (XI.) *Ultima est* CONCORDIA CVM COPIÆ CORNV, *seu Cybeles Mater, cujus vim generationi inesse credebant.*

Index alterius opera confectus, ejus, cujus cura & sphalmata sunt notata: mihi enim nunc quidem magistratum gerenti, & ad forenses strepitus, quasi ad Catadupa sæpius obsurdescenti, his emendandis non licuit immorari: & sane ubi ab autographo aliena manu descriptum, opus peregre imprimendum fuit, vix aliter fieri potuit, quominus sive describentium sive operarum incuria errores irreperent. Unum alterum-

que

que noto p. 33. cum dixeram confarreationes quasi solas tonitru non esse diremtas, in mentem venerat, quævis nuptialia sacrificia tonitru fuisse diremta: sed, tamen re diligentius explorata, nolui p. 138. quicquam definire p. 340. delenda particula *non* & legendum *quoniam honore & affectione maritali non secundum* &c. ne alioqui sententia turbetur. p. 216. verba: *itaque genere quodam omnis mancipatio nexus est*, sunt Rævardi, & quæ sequuntur usque ad verbum *adhibebatur*, sunt Gravinæ, ideoque literis currentibus erant distinguenda. Fortassis id erit futuri temporis studium, prætermissa adjungere & perperam posita, emendare. Vale. Scribebam Hanoveræ d. XXIX. Mart. MDCCXXVII.

CAP. I.



CAP I.

DE UXORE ROMANA EIUSQUE DUPLICI FORMA.

§. I.

Uxorum duæ Formæ probantur ex Cicerone, Quintil. Gellio, Livio.

UXorum apud Romanos duæ olim fuerunt formæ sive species; una earum, quæ in manum convenerunt, & viris matresfamilias fuerunt; altera earum, quæ, sine in manu conventione, uxores tantummodo habebantur, & matronæ proprie appellabantur.

Prodiderunt has duas matrimoniorum formas, quibus uxores conventione in manum, vel sine ea ducebantur, aperte Cicero, ex eoque Quinctilianus, A. Gellius, nec minus juris auctores Papinianus, Paulus, Ulpianus, & Cajus. Agnoverunt quoque posterioris ævi scriptores, Maurus Servius Honoratus Grammaticus, (qui in Macrobii Satur-

nalibus colloquens inducitur, ideoque cum Macrobio Honorii & Theod. Jun. temporibus vixit, ut patet ex *Cod. Theod. VI. 8.*) Nonius Marcellus, & qui Sec. VI. ineunte vixit, Sev. Boëthius.

Audi Ciceronem *Topic. c. III. Si ita Fabiæ pecunia legata est a viro,* SI EI VIRO MATERFAMILIAS ESSET; *si ea in manum non convenerit, nihil debetur. Genus est enim* VXOR: *ejus* DVÆ FORMÆ, *una matrumfamilias, earum,* QVÆ IN MANVM CONVENERANT, *altera earum, quæ* TANTVMMODO VXORES *habentur, qua in parte, cum fuerit Fabia, legatum non videtur.* Hæc eadem ex Cic. *Lib. V. Inst. Orat. c. 10. p. m. 285.* attulit Quinctilianus: *At si quis,* inquit, *cum legatum sit ei,* QVÆ VIRO MATERFAMILIAS ESSET, *neget deberi ei, quæ* IN MANVM NON CONVENERIT SPECIE, *quoniam* DVÆ FORMÆ *sint matrimoniorum.* Ciceronem confirmat & egregie explicat Gellius *XVIII, 6.* cujus verba apposui: *Matronam dictam esse proprie, quæ in matrimonio* CVM VIRO CONVENISSET, *quoad in eo matrimonio maneret, etiamsi sibi liberi nondum nati forent, dictam esse a matris nomine, non adepto jam, sed cum spe & omine mox adipiscendo, unde ipsum quoque matrimonium dicitur.* MATREM *autem* FAMILIAS *appellatam esse eam solam, quæ in* MARITI MANV MAN-

CIPIO-

CIPIOQVE *aut in ejus, in cujus maritus manu mancipioque esset, quoniam non* IN MATRIMONIVM TANTVM *sed in* FAMILIAM QVOQVE MARITI *& in sui hæredis locum venit.* Nec obscure apud Liv. *XXXIV, 7.* P. Valerius, cum pro abroganda lege Oppia verba fecisset, duas has uxorum formas videtur significasse, non enim omnibus maritis, sed *quibusdam in manu esse* uxores dixit, eo indicio, sine in manu conventione eas quoque haberi.

§. II.

Ex juris autoribus.

Sane juris auctores duas has matrimoniorum formas optime dignoscunt, uxorem sine in manum conventione, V. Ulp. *Fragm. XXVI. §. 7.* ab ea, quæ in manu est, Ulp. *Fragm. XXIX.* distinguunt, atque optima ratione uxori, quæ in manu fuit, familiæ jura applicant, & quæ contra de uxoribus sine in manum conventione Romana legislatione constituta ostendunt. V. Cajus *Collat. LL. Mosaic. & Rom. T. XVI. §. 2.* Paulus *d. Coll. IV. 2.* & Papin. *d. Coll. IV. 7.* Ulp. *Fragm. IX, XI. 13, XVI. 6, XIX. 18. 19. XXII. 14. XXIII. 3, d. Collat. T. XVI. §. 4. & 6.*, quæ, ubi ad effectus in manum conventionis accesserimus, dedita opera exsequemur, hoc loco vero ad demonstrandas duas uxorum formas sufficiant, per indicem saltem tetigisse.

§. III.

Ex Servio, Nonio, Boëthio.

Significavit quoque has duas uxorum formas totidem fere Gellii verbis Servius *Lib. XI. Æneid.*, cujus in vulgata Jo. Bapt. Egnatii editione hæc ſunt verba: *Alii hoc putant rectius matronam dici, quæ in matrimonio cum viro convenerit, & in eo matrimonio manſerit, etiamſi liberi nondum fuerint, dictam matris nomine ſpe atque omine, unde & matrimonium dictum; matrem vero familias eſſe, quæ in manu mancipioque, aut in cujus maritus manu mancipioque eſſet, quæ in familiam quoque & ſui hæredis veniſſet.* Hæc veriſſime ex doctrina veterum, ſi modo hæc omnia Servii ſint, quæ vulgo Servii commentariis circumferuntur, truncatos enim, & recentiorum Grammaticorum obſervationibus interjectis interpolatos eſſe hos Servii commentarios obſervant eruditi, & probat mira editionum varietas, adeo, ut nec ipſum Servium Danielis, quem purum putum Pith. *Coll. LL. Moſaic. & R. h. t. XVI.* putat, nec Roberti Stephani, neque Franc. Modii, nec alterius, ſive ſincerum, ſive integrum agnoſcant v. c. Fabricius *Bibl. latin. L. I. c. 12. p. 207.* Tan. Fabr. *2. Ep. 62.* Cuper. *Obſerv. p. 202.* Jo. Clericus *Arte critica Tom. I. p. 37.* Barth. *ad Statium T. I. p. 1386.* Eadem ex Gellii doctrina, verbis licet corruptis, de utraque uxorum ſpecie,

ſpecie, MATRONA ſive uxore tantum, & MATREFAMILIAS docuit Nonius Marcellus *c. V. §. 12. Matronæ & matrisfamilias disſimilitudinem hoc modo veteres docti ſeparant quidam, ut ſit matrona, quæ peperit ſemel, materfamilias, quæ ſæpius; ſed hæc definitio videtur abſurda: Ad hæc fidelius locupletiores* (Gellius: *vocum antiquarum enarratores*) *matronam, quæ in matrimonio ſit mariti etiam ante ſuſceptos liberos dictam, meliore tamen matris futuræ ſpe M. Tul. nomine* (legendum matronæ nomine M. Tul. enim non ſine mendo ex Notis M. T. i. e. matre ſ. matrona natum videtur) *nuncupatam matremfamilias, quæ in familia mancipioque ſit patris* (patria Dionyſ. Gothofr.) *etſi in mariti matrimonio ſit.* Senſus eſt, matremfamilias eſſe, quæ, etſi in mariti matrimonio eſſet, in ejusdem tamen tanquam patris ſ. patrisfamilias ſit familia mancipioque, quomodo Gellius dixerat, quæ non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoque mariti venit; paulo aliter, ſed tamen ad Gellii mentem corruptam Nonii ſcripturam reducunt Cujacius *VII. Obſ. II.* Nicol. Abramus *Comm. in Orat. Cic. pro M. Cœlio p. m. 430.* Videtur Alb. Gentilis ad *L. 46. d. V. S.* patrem non ipſum maritum, ſed patrem naturalem, quaſi in ejus ſit adhuc familia mancipioque, etſi in mariti ſit matrimonio, intelligere, quod a ſententia Gellii, quam

ſecutus Nonius, alieniſſimum. Vidit quoque Boëthius *in Top. Cic. L. 2. p. m. 779.* has duas uxorum formas, licet in modo, quo in manum conveniebatur, & ſignificatione matrisfamilias, nimium quantum a veterum doctrina aberret, *video,* inquit, *uxori* DVAS *ineſſe* FORMAS, *quarum una* TANTVM VXOR *eſt*, *altera* MATERFAMILIAS, QVÆ IN MANVM CONVENTIONE *perficitur*, idque recte hactenus; quod autem paulo ante de uxore Uſu docuerat: *Uxoris* SPECIES *ſunt* DVÆ, *una* MATRVMFAMILIAS, *altera* VSV; id quam male habeat, inferius dicetur.

§. IV.

Invaluerunt jam Romuli ætate.

Invaluerunt hæ duæ uxorum formæ & ſpecies jam *Romuli ætate* a primis Reip. Romanæ initiis. Poſteaquam enim auctore Dionyſ. *Ant. Rom. L. 2. p. m. 51.* mulier *ex ſacris legibus* non in matrimonium tantum, ſed in manum quoque convenire, & quæ ex ſacris legibus in manum conveniſſet, *Romuli lege* cum inſigni juris effectu & fructu particeps cum marito omnium bonorum & ſacrorum eſſe cœpit; ab eo inde tempore uxores aliæ *in matrimonium tantum*, aliæ non in matrimonium tantum, ſed *ſimul in mariti manum convenerunt.* *Illæ* dicebantur non in manum, ſed *in* MATRIMONIVM *tantum* CONVENIRE; VXO-

RES

RES TANTVMMODO HABERI: VXORES TANTVM; MATRONÆ, MATRES SINE IN MANVM CONVENTIONE. V. Cic. Gellius, Ulp. *XXVI. 7.* Serv. Nonius, Marc. Boëth. *Hæ* in lege Romuli: QVÆ EX SACRATIS LEGIBUS IN MANVM MARITI CONVENISSENT, in lege Numæ; QVÆ EX LEGIBVS PARTICIPES ESSENT ET SACRORVM ET BONORUM; vid. Dionyſ. d. *L. 2.* MATRESFAMILIAS, IN MANVM CONVENIRE; IN MANV MANCIPIOQVE ESSE: non in matrimonium tantum, ſed IN FAMILIAM QVOQVE MARITI VENIRE; quæ omnia inferius ex bonis auctoribus magis dabimus explicata.

§. V.

Matrisfamilias & Matronæ variæ appellationes.

Interim matrisfamilias & matronæ appellationem non uno modo, ſed *varie* acceptam fuiſſe negari non poteſt, & conſtat, de utriusque vocis ſignificatione jam inter veteres ſcriptores concertatum fuiſſe. Ælius Meliſſus Grammaticus libro de loquendi proprietate ap. Gellium *XVIII. 6.* putavit: *Matronam eſſe, quæ ſemel peperit, quæ ſæpius, matremfamilias;* quod utrum excogitarit ipſe & conjecturarit, an ſcriptum ab alio, quo legerit, hariolis opus eſſe Gellius inquit. Improbant tamen hanc confictam utriusque vocis appellationem Gellius, quique eum ſecuti,

 Servius

Servius *L. XI. Æneid.* v. *ſubvehitur*, & Nonius Marcellus *d. l.*; contra quod, teſte Gellio, idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, *matronam* eſſe, quæ in matrimonium tantum cum viro convenit, & uxorem tantummodo ſine in manum conventione; *matremfamilias*, quæ in mariti manu mancipioque eſſet, ſive viro in manum convenit, neque in matrimonium tantum, ſed in mariti quoque familiam venit; id a Cicerone, Quinctiliano, Gellio, Servio, Nonio, Marcello atque Boëthio videmus comprobatum. Nec aliter Feſtus matremfamilias, quam eam, *cujus vir eſt paterfamilias*, i. e. ut ego interpretor, quam habet in poteſtate, in manu, in familia, videtur accepiſſe. Verba Feſti hæc ſunt: MATERFAMILIAS *non ante dicebatur, quam* VIR EJVS PATERFAMILIAS DICTVS ESSET, *nec poſſunt hoc nomine plures* IN VNA FAMILIA *præter unam appellari, ſed nec vidua hoc nomine, nec quæ ſine filiis eſt, appellari poteſt.* Quomodo & Ulpianus ad *L. 191. §. 2. d. V. S.* ut bene monuerunt Cujacius *ad d. L.* Aleander *ad Caji Inſt. II. 8.*, Pith. *Coll. LL. M. & Rom. XVI.*, matremfamilias, (cujus vir paterfamilias erat, ſicut ipſa viro materfamilias erat, docente Cicerone & Quinctiliano) inter perſonas unius parentis poteſtati ſubjectas, & in familia proprio jure, quæ conſtat patrefamilias, tanquam familiæ principe, qui

qui & ipse familiæ appellatione continetur *L. 196. eod.*) matresfamilias, filiofam., filiafam., numeravit: verba Ulpiani: *jure proprio familiam dicimus plures personas, quæ sunt* SVB VNIVS POTESTATE *aut natura aut jure* (v.g. uxor, quæ in manu est) SVBJECTÆ, *utputa patremfamilias*, MATREMFAMILIAS, *filiumfamilias, filiamfamilias, quique deinceps vicem eorum sequuntur, utpote nepotes & neptes & deinceps.* Sic & Isidoro *VIII. Orig. 5.* materfamilias inde vocatur, *quia per quandam juris solennitatem* IN FAMILIAM TRANSIT MARITI.

Connanus *VIII. comm. 3.* verba Festi: *cujus vir paterfamilias dictus esset*; sic accipit, cujus vir pater esset, ex illa liberos habens. Hotomannus autem Lex. *v. uxor* sic intelligit, ut, quæ filiofamilias nupta sit, non ante hoc nomine utatur, quam si is sui juris effectus, neque consentaneum esse, ut si socrus vivat, quæ materfamilias appellatur, nurus eandem nominis dignitatem obtineat. Neutra sive Connani sive Hotomanni sententia facile potest probari. Si patremfamilias Festus intellexisset patrem, qui ex uxore liberos suscepisset, idem bis dixisset hoc modo, matremfamilias non ante dictam, quam vir ejus ex illa pater factus fuisset, nec quæ sine filiis est, hoc nomine appellari posse. Interim non negamus, id inter veteres videri fuisse agitatum, an paterfamilias, materfamilias, item matrona, quæ

 sine

ſine liberis eſſent, hoc nomine poſſent appellari, cum ſi vim ac proprietatem vocis ſpectes, ſive *pater* ſive *mater ſine liberis* intelligi non poſſint; qua de cauſa & Feſtus negavit, matremfamilias, quæ ſine filiis eſt, appellari poſſe. Obtinuit tamen, ut matrona a matris nomine non adepto jam, ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendo diceretur, nec minus paterfamilias & materfamilias, quæ ſunt juris nomina, quibus non perſonam, ſed jus eorum demonſtramus, hoc nomine recte appellabuntur, quamvis filium non habeant. Ulp. *L.195.§.2. d.V.S.* & certum eſt, Ciceroni aliisque optimis auctoribus matremfamilias eſſe, quæ viro in manum convenit, nec liberorum ullam haberi rationem: neque neceſſe eſt, quod Hotomannus voluit, alia tentata Feſti explicatione, ut vir ejus ſui juris ſit; dicitur enim uxor in manu mariti, i. e. viro materfamilias eſſe eo caſu, quo maritus adhuc in parentis ſui poteſtate erat. Cajus *Coll. LL. M. & R. XVI.* §. 2. quamvis verum ſit, nomine matrisfamilias *prater unam in familia* appellari non poſſe, hoc ſenſu, quo Gellius *IV. 3.* tradit pellicem appellatam probroſamque habitam eam, quæ juncta conſvetaque eſſet cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii cauſa foret.

§. VI.

Materfamilias & Matrona promiſcue pro notæ au-

Vidimus matrisfamilias appellationem, qua uxorem, quæ in manu fuit, idonei vocum antiqua-

tiquarum enarratores veteres significarunt, explosa illa, quam de suo jecore commentus Ælius Melissus. Aliam matrisfamiliæ significationem, qua matremfamilias & matronam promiscue pro *notæ auctoritatis fœmina* acceperunt, observant, & recte quidem, viri docti: sic Cic. *Orat. pro Cœlio: Petulanter*, inquit, *facimus, si matremfamilias secus, quam matronarum dignitas postulat, accipiamus.* Ulp. *L. 46. §. 1. d. V. S. matremfamilias accipere debemus eam, quæ non inhoneste vixit, matrem enim familias a cæteris fœminis mores discernunt atque separant; proinde nihil interesit, nupta sit an vidua, ingenua sit an libertina; nam neque nuptiæ neque natales faciunt matremfamilias, sed boni mores.* Idem Ulp. *L. 3. §. 6. in fin. d. liber. exhib. cum audis matremfamilias*, (ap. quam fœminam deponi Prætor jubet) *accipe* NOTÆ AVCTORITATIS *fœminam.* Eadem significatione *meretricias vestes*, NON MATRVMFAMILIAS, NON MATRONALES dixit Ulp. *L. 15. §. 15. d. Injur.* MATRONALEM STOLAM Valer. *L. VI. c. 1.* STOLAS ATQUE ORNATVS MATRONALES Vitruv. *l. 1.* quo modo Cic. *Phil. 2. cito cursu*, inquit, *intervenit, qui te a meretricio cultu abducit, & tanquam* STOLAM *vidisset, in matrimonio certo ac stabili locavit;* honestæ enim fœminæ i. e. matronæ stola ac pelle indutæ erant.

Non.

Auctoritatis fœmina.

Non. Marc. *c. 14.* cujus *ſtolatæ* mulieris figuram exhibet. Lazar. Baif. *c. 1.* Bene Feſtus matronas appellat, *quibus ſtolæ habendæ jus erat*; in quam rem plura congeſſerunt Briſſon. *I. Ant. Rom. 4.* Octav. *d. re veſt. c. 23.* Pari ratione GRAVITATEM MATRONALEM dixit Plin. *5. Ep. 16.* DECVS MATRONALE Liv. *26. 49.* JVS ET DIGNITATEM MATRONALEM Sveton. *Tib. c. 35. fœminam, quæ matronarum caſtiſſima putatur Quintam Claudiam,* Cic. pro domo. MATRONAS PRIMORES, inter quas unius Claudiæ Quintæ inſigne eſt nomen. Liv. *XXIX.* MATRONÆ, puta Claudiæ virginis veſtalis, CASTITATEM, M. Minucis Felix Octav. §. *VII.*, adeoque nec novus nec inexſpectatus hic uſus, quem in virgine, cui non eſt maritus, ſed certisſima virginitas, ſibi, ut ſolet, eſſe in literis jactantia, quaſi ſingulare quicquam animadvertiſſe viſus ad Minucium *hoc loco* Jac. Gronov., ſed tritus ac plane uſitatus. Matronam enim hoc loco non nuptiæ; ſed ſoli boni mores, decus, dignitas & caſtitas demonſtrabit.

§. VII.

Matresfamiliæ ſuæ poteſtatis fœminæ.

Intelliguntur denique in libris Romanarum legum matres familiæ ſuæ poteſtatis fœminæ, ſic, uti patresfamiliæ, qui ſui juris ſunt. docet Ulp. *L. 4. d. his qui ſui vel alien. jur. Patresfamiliarum ſunt, qui ſunt ſuæ poteſtatis,*

testatis, sive puberes sive impuberes; simili modo matresfamiliarum (sc. sunt, qui sunt suæ potestatis sive puberes sive impuberes) *filii familiarum & filiæ, quæ sunt in aliena potestate;* eadem docuit Ulp. Fr. IV. 1. *Sui juris sunt familiarum suarum principes, i. e. paterfamiliæ itemque materfamiliæ;* quo sensu in innumeris legum capitibus hoc verbum usurpatum esse constat. *v. L. 30. §. 1. Solut. Matrim. L. 34. eod. L. 5. §. 1. d. Bonis damn.* quod autem dixerat Ulp. appellari hoc nomine sive puberes sive impuberes, id ex libris juris certissimum probatumque. Tertull. Lib. d. vitand. virg. *materfamiliæ,* inquit, *vocatur, licet virgo, & paterfamilias licet investis.* Cæterum quam varie viri docti argumentum illud de varia matronæ & matrisfamiliæ significatione expedierint, videri potest ap. Rævard. *W. Varior. 12.* Nic. Abramum Comm. *ad Orat. Cic. pro Cœlio p. 430. & 431.* Connanum *VIII. comm. 3.* Hotomannum *Lex. h. v.* & *v. Uxor.* Alber. Gentilem & Jo. Goddæum ad *L. 46. d. V. S.* quibus quantum tribuendum sit, quisque circumspectis veterum testimoniis ex suo judicio vel demat vel addat fidem. Nobis, ubi de matrefamilias, quæ in manum convenit, agendum erat, de varia ejus appellatione, ne quis in illa offenderet, hæc videbantur diligenter notanda.

CAP. II.

CAP. II.

DE CONVENTIONE IN MANVM GENERATIM, QVIBVSQVE MODIS FIEBAT.

§. I.

Quid convenire in manum.

COnvenire in manum, quid est? binis verbis expediam; *venire in potestatem* mariti, aut ejus, in cujus maritus est potestate. Manum enim ap. Romanos arbitrium & potestatem significasse jam monuerunt Alciatus *XI. Parerg. 7.* & Augustinus *d. L. XII. Tab. §. 18.* Gregor. Tholosanus *Syntagm. Jur. IX. §. 31.* Nicol. Abramus *Comm. in Cic. Orat. pro Mil. §. 58. n. 2.* Brissonius & Hotomannus *h. v.* Quo sensu Pomponius dixit *L. 2. pr. d. O. J. omniaque manu a Regibus gubernabantur*, i. e. ex arbitrio, ut libitum, sive, quod idem, ex potestate libera: si quid enim judico, sive arbitrium, quod maluit Bynckersh. *Prætermissis ad d. L. 2. pr.*, sive potestatem manum interpreteris, res eodem recidit. Sic Plinius *IV. Ep. 8. esse in manu* i. e. potestate *hominum*, inquit. Plaut. *in Rudent. IV. 3. 34. in manu est mea*, Cic. *Fam. XIV. 2. verum hæc non sunt in nostra manu.* Hec. *III. 5. 34. tibi id in manu est, ne fiat.* Nepos *XIII. 3. 4. & ut si in sua manu fortuna esset, quo contenderat, pervenit.* Tac. *2. 76. 3.*

76.3. juxta Deos in tua manu est positum; qua ratione a manu, potestatis appellatione, plures deductæ voces v. c. mancipatio, mancipare, mancipium, res mancipi, nec mancipi, manceps, emancipatio, remancipatio, manumissio; de manumissione eleganter Ulp. *L. 4. d. J. & J. Est autem manumissio de manu missio: nam quamdiu quis in servitute est, manui & potestati suppositus est; manumissus liberatur potestate.* Quamvis autem significatione manus *latissime accepta*, quævis potestas patris in liberos, domini in servos, tutoris in pupillum, mariti in uxorem nonnunquam demonstretur, & ut potestatis verbo in persona magistratuum imperium, in persona liberorum, quorum loco & uxores in manu habentur, patria potestas, in persona servi dominium, in persona pupilli tutela significentur v. *L. 215. d. V. S.* quomodo apud Liv. *XXXIV. 3.* Cato: *Mulieres*, inquit, *majores voluisse in manu esse parentum, fratrum, virorum;* & eodem loco P. Valerius ait: *minus filiæ, uxores, sorores quibusdam in manu erant,* plerumque tamen, & verbo cuique magis proprio liberi in potestate, uxores in manu, servi in mancipio, pupilli in tutela esse dicuntur. Ulp. *Fr. XIX. 18.*

§. II.

Patriae potestatis variae aucto-

Patriam potestatem rerum Romanarum scriptores jurisque

appellationes. auctores variis appellationibus designabant, quas uxoribus in manu, quoniam liberorum loco erant, & in mariti patria potestate, sicut filiæ in patris, quoque applicarunt. Videamus primum de liberis, deinde de uxoribus:

(1) Liberi communius dicebantur, *in potestate* parentum esse, eoque verbo imperium patris in liberos plerumque juris auctores demonstrasse notius est, quam ut exemplis iisque innumeris confirmare sit necesse.

(2) Patria potestas appellabatur aliquando PATERNA MAIESTAS Liv. *IV.* PATRIA MAIESTAS ap. Valer. Max. *Lib. VIII. c. 7. §. 5.* Quinct. Declam. *375.* atque habebatur parens quasi PRINCEPS FAMILIÆ suæ. Cajus *L. 196. d. V. S.*

(3) Jure proprio quoque Jureconsulti veteres familiam dicebant plures personas, quæ sunt sub unius potestate, aut natura, aut jure subjectæ Ulp. *L. 195. §. 2. d. V. S.* inde dicebantur liberi in parentis potestate constituti IN FAMILIA ESSE *§. 4. & 5. J. d. hæred.* in avi potestate vel proavi FAMILIA REMANERE. Paulus *IV. Sent. 8. n. 8.* IN FAMILIA RETINERI. Paulus *d. l. §. 9.* alienam FAMILIAM SEQVI. Paulus *d. l. §. 10.* se in alienam familiam transferre *L. II. §. 2. d. Bonor. poss. sec. tab.* PERVENIRE IN ADOPTIVAM FAMILIAM *L. 3. §. 9. d. Bon. poss. sec. tab.* IN ADO-

ADOPTIVA FAMILIA CONSTITVTI *L. 8. §. 9. eod.* FAMILIAM MVTARE *L. 3., L. 11. d. Cap. min.* IN FAMILIA DVRARE *L. 12. d. Collat.* FAMILIA PATRIS EXEMTI PER EMANCIPATIONEM *L. pen. C d. Adopt.*, qui arrogabat, arrogatum IN FAMILIAM REDIGERE, nec multo post redigere ex aliena familia in suam potestatem *L. 17. d. Adopt. L. 40. eod.* parens POTESTATEM FAMILIÆ HABERE *L. 6. C. Theod. d. legit. hær.* SEPARARE A FAMILIA *L. 9. C. d. Emanc.* Filius in potestate liberos suos IN PARENTIS FAMILIA HABERE *L. I. pr. d. conjungendis cum emanc. lib.* filius emancipatus IN ADOPTIVA FAMILIA NEPOTEM SVSTVLISSE *L. 6. §. 4. d. Bonor. poss. contr. tab.* filius adoptatus his, qui EXTRA FAMILIAM meam sunt, NON AGNASCI *L. 23. d. Adopt.* filio naturali, quem parens naturalis alii adoptandum dedit, integra omnia jura ita servari, ac si in patris naturalis potestate permansisset *§. 14. J. d. hæred.* quasi non fuisset IN ALIENAM FAMILIAM TRANSLATVS *L. 10. C. d. Adopt.*

(4) Dicebantur quoque liberi in manu patris esse Lactant. *IV. divin. Inst. 29.* vid. Liv. *XXXIV. 3.*, IN MANV MANCIPIOQVE ESSE Gell. *XVIII. 6.* SVB MANV PATRIS ESSE *Nov. 81. c. 1.* parentes liberos suos A SVA MANV DIMITTERE *§. 6. J. quib. mod. jus patr. pot.* LIBERI MANVMITTI *L. 28. d. Adopt.*

(5) Dixerunt quoque liberos IN MANCIPIO ESSE Ulp. *Fragm. Rubr. qui in potestate mancipioque sunt.* IN MANV MANCIPIOQVE Gell. d. l. EX PRIMO ET SECVNDO MANCIPIO MANVMISSVS Paulus *IV. Sent. 6. 7.* Erant enim in mancipio sive dominio aut jure quiritario filiifamilias, quos etiam pater vindicare poterat, adjecta causa ex lege Quiritium *L. I. §. 2. d. R. V.* neque dubium est, quin ea ætate, qua liberi vendebantur, fuerint res mancipi; nam de mancipatione liberorum apud Cajum legimus *Lib. I. Inst. T. VI. n. 3.* mancipatio autem cadere non poterat nisi in res mancipi, ut bene observant Bynckersh. *d. jure vendendi lib. c. 1.* Schulting. *Jpr. Antejust. p. 54.* ut omnino, quod Bynckersh. visum, & aperte significavit Ulp. *L. 195. §. 2. d. V. S.* ex hoc ipso jure dominii derivandum sit illud patrum Romanorum in liberos imperium, indeque pendentes patriæ potestatis effectus, interpretatione prudentum per consequentias inde deducti explicatique v. Jan. a Costa *ad Rubr. J. d. patr. pot.* Patri olim idem licebat in filios, quod in servos vid. Grav. *d. Orig. Jur. p. m. 172*, & erant patri pro servis. Marcil. *ad LL. XII. Tab. c. 25.* Hinc Brutus ad Atticum scribit: *dominum, ne parentem quidem majores nostri voluerunt esse:* & ap. Lactant. *IV. div. Inst. 3, dominus idem, qui est pater, & servus, qui filius*; ap. Senec. *Lib. 3.*

Con-

Controv. 19. filiusfam. dicitur *nulli nisi patri servire, omni alia servitute liber*. v. idem *Excerpt. Contr.* 9. *L.* 3. ap. Serv. *XI. Æneid. servi loco parenti esse*.

(6) Liberi in potestate dicebantur IN SACRIS PATERNIS ESSE, IN SACRIS MANERE *L.* 2. *C. d. bon. quæ lib. L.* 12. *C. d. Collat. L.* 3. *C. d. Jur. & legib.* ADOPTATVS IN FAMILIAM ET SACRA TRANSIISSE. Valer. Max. *L. VII. c.* 7. *n.* 2. AMISSIS SACRIS PATERNIS IN HÆC ADOPTIVA VENIRE Cic. *pro dom. c.* 13. 14.

§. III.

Patriæ potestatis in uxores eædem appellationes.

Iisdem appellationibus auctores veteres patriam potestatem, quam maritus in uxorem, quæ in manum convenerat, tanquam pater in filiam habebat, significarunt.

(1) Ita dicitur VXOR, quæ IN MANV est SCRIPTI HÆREDIS, non multo post IN POTESTATE SCRIPTI HÆREDIS esse ap. Ulp. *Fr. XXIV.* 13. Mulier cöemtione facta, (quæ & conventionis in manum species) IN POTESTATEM VIRI CESSISSE ap. Serv. *IV. Æneid.* (2) MARITVS IVS ET MAIESTATEM VIRI IN MATREFAM. RETINERE Liv. *Lib. XXXIV.* (3) Uxor, quæ in manum convenit, IN FAMILIAM

 MARI-

MARITI VENISSE Gell. *XVIII. 6.* Serv. *Æneid. L. XI.* per quandam juris ſolennitatem IN FAMILIAM MARITI MIGRARE Serv. *d. l.* IN FAMILIAM MARITI TRANSIRE Iſidorus *VIII. Orig. 5.* IN FAMILIA MANCIPIOQVE PATRIS ESSE, puta viri, cui eſt filiæ loco. Nonius Marc. *c. V. n. 82.* VIRO MATERFAMILIAS ESSE. Cic. *Top. III.* ſed non ante, quam vir ejus paterfamilias dictus eſſet. Feſtus v. *materfamilias*, ut tamen plures IN VNA FAMILIA præter hanc unam appellari non poſſint. Feſtus *ibid.*, ideoque & IN FAMILIA PROPRIO jure plurium perſonarum, quæ ſunt unius patrisfamiliæ, poteſtate ſubjectæ numeratur. *L. 195. §. 2. d. V. S.* (4) Præcipue tamen uxores, quæ non in matrimonium tantum, ſed ſimul poteſtatem viri venerant, verbis in uxoribus magis receptis, cum pleniſſimo tamen patriæ poteſtatis effectu, dixerunt IN MANV ESSE. Ulp. *Fr. XXII.* §. *14.* Cajus *Coll. LL. M. & R. XVI.* 2. IN MANV MATRIMONII CAVSA ESSE Cajus *d. l.* Gell. *IV. 3.* IN MARITI MANV MANCIPIOQVE ESSE, VEL IN EIVS, IN CVIVS MARITVS MANV MANCIPIOQVE ESSET. Gell. *XVIII. 6.* vid. Cajus *Coll. LL. M. & R. XVI. 2.* IN MANV HABERE Ulp. *XIX. 18.* exire e jure patrio & IN MANVM MARITI v. g. Flaminis CONVENIRE Tacit. *IV. Annal. 16.* EO (patre)

AV-

AVCTORE IN MANVM CONVENIRE Paulus *Coll. LL. M. & R. IV. 2.* EO (patre) AVCTORE, CVM IN POTESTATE ESSET, VIRO IN MANVM CONVENIRE. Papinianus *d. Tit. IV.* §. *7.* omnibus tutoribus auctoribus in manum convenire. Cic. *Top. III.* EX SACRIS LEGIBVS IN MANVM CONVENIRE. ap. Dionyſ. *L. 2. c. 26.* VIRI IN MANVM CONVENIRE Boëth. *in Top. Cic. L. 2.* indeque dictâ CONVENTIO IN MANV Ulp. *Fr. XXII. 14.* & *Coll. LL. M. & R. XVI. 6.* IN MANVM CONVENTIO Ulp. *Fr. XI. 13.*, Cajus *d. Tit. XVI.* §. *2.* Serv. *I. Georg.* in v. *teque ſibi generum*, eo caſu, quo ipſe maritus adhuc erat in parentis poteſtate, dicebatur uxor IN MANV PARENTIS ESSE nimirum *actu* Gell. *d. c. 2.* nec minus in manu mariti eſſe Cajus *d.* §. *2.* non actu quidem ſed *potentia*. (5) Eodem modo uxor, quæ in manu erat, dicebatur in mariti manu MANCIPIOQVE eſſe. Gell. *XVIII. 6.* Serv. *Æneid. XI.* in mariti MANV MANCIPIOQVE MATRIMONII CAVSA ESSE. Gell. *IV. 3.* in FAMILIA MANCIPIOQVE patris eſſe. Nonius Marcellus *V. 82.* puta mariti, qui matrumfamilias erant patres, MARITO SERVIRE. Virgil. *IV. Æneid. V. 103.* SVSTINERE CONDITIONEM LIBERÆ SERVITVTIS. Serv. *IV. Æneid.* vid. Nood. *2. Probabil. 9.* quamvis autem mancipii & ſervitutis verba ad liberos & uxo-

uxores in manu, quæ liberorum loco sunt, relata, patriam potestatem significent, ab iisdem tamen, utpote servis magis propriis, sibi temperare mariti maluerunt, quam in rem P. Valerius ap. Liv. *XXXIV.* ET VIR, inquit, *in manu & tutela, non in servitio debetur habere eas, & malle patres vos aut viros quam dominos dici.* (6) Denique liberi, ut in sacris esse dicebantur, ita & uxor, quæ in manum convenit, in lege Romuli & Numæ ap. Dionys. *Lib. 2.* appellatur, quæ PARTICEPS SIT SACRORVM & bonorum.

§. IV.

Conventio in manum definita.

Conventio in manum igitur est, *conventio uxoris non in matrimonium tantum, sed simul in* MARITI POTESTATEM *tanquam* FILIÆ IN PATRIS. Estque sicut adoptio & arrogatio GENVS hoc IN ALIENAM FAMILIAM TRANSITVS, quod per nuptias tribus modis, *Confarreatione, Coëmtione, Usu* initas fiebat, cum in alienam puta mariti familiam inque liberorum locum uxores extraneæ sumebantur. Quemadmodum de arrogatione eleganter disserit Gell. *IV. 19.* Ita enim a primis Reip. Romanæ initiis, & a Romuli inde ætate obtinuit servatumque fuit, ut uxor *in liberorum locum* per conventionem in manum posset assumi, cum *plenissimo patriæ potestatis effectu*, indeque evenit, ut & uxor, quæ

in

in manum viro convenerat, in mariti defuncti bona succederet, sicut FILIA IN PARENTIS. Dionyſ. *Lib.* 2. in sui hæredis locum veniret. Gell. *XVIII.* 6. ut per in manum conventionem APVD PATREM, SCIL. MARITVM, IVS FILIÆ CONSEQVERETVR. Cajus *Coll. LL. M. & R. XVI.* §. 2. FILIÆ LOCO ESSET, & ſi maritus in poteſtate eſſet, ſive patris ſive avi, *illi* NEPOTIS LOCO, *huic* PRONEPOTIS LOCO eſſet Cajus *d. n.* 2. materſamilias viro LOCO FILIÆ ESSET. Boëth. *in Top. Cic.* 2. illa IN FILIÆ LOCVM MARITVS IN PATRIS VENIRET. Serv. 2. *Georg.* Maritos earum ſe patres aut viros dicerent. Liv. 34. vir EIVS PATERFAMILIAS diceretur. Feſtus v. *materfamilias*, quæ omnia patrii juris ad mulieres, quæ in manum convenerunt, producti, luculentisſima ſunt argumenta: de quo inferius plenius agitur.

§. V.

Conveniebant autem uxores viris in manum tribus modis (1) CONFARREATIONE, (2) COEMTIONE, (3) VSV. De confarreatione diſerte id teſtantur Dionyſ. *Lib.* 2. *p. m.* 51. ex Lege Romuli: *mulier nupta, quæ ex ſacratis legibus in manum conveniſſet.* Ulp. *Fr. IX. Farre convenitur in manum*, & de Flaminica Diali, quæ per confarreationem in

Convenitur in Manum Tribus Modis.

 ma-

manum Flaminis convenire debebat. Tac. *IV. Annal. 16. quæque in manum Flaminis conveniret.* Imo nec ipse Servius Danielis *IV. Æneid.* quod jam observavit Pithoeus Coll. LL. M. & R. Tit. XVI. de farreatis nuptiis videtur negasse: *quæ conventio*, (in manum) inquit, *eo ritu perficitur, ut aqua & igne adhibitis duobus maxime elementis, natura conjuncta habeatur, quæ res ad farreatas nuptias pertinet*; quamvis sive Servius sive alius, qui ineptis sæpe observationibus Servii commentaria interpolavit, omnia videantur miscuisse, & uxorum formas nuptiarumque ritus v. g. quæ in manum debuit convenire, in matrimonium sive nuptias dicat convenisse, & ritus nuptiarum, quibusvis nuptiis communes, confarreationi proprios faciant.

De Coëmtione auctores sunt Cic. *pro Flacco c. XXXIV. in manum*, inquit, *convenerat, nunc audio, sed quæro*, VSV *an* COEMTIONE? Servius Danielis *IV. Æneid. quoque omnis iste mos* COEMTIONIS, *& citra nominis nuncupationem dotis datæ taxatione expediretur, quæ res* IN MANVM CONVENTIO *dicitur.* Boëth. *in Top. Cic. Lib. 2. quæ autem* IN MANVM PER COEMTIONEM VENERANT; nec multo post, *itaque mulier viri* CONVENIEBAT IN MANVM *& vocabantur hæ nuptiæ* PER COEMTIONEM.

De

De Usu confirmat Cic. *pro Flacco d. c. XXXIV.* dum quærit, in manum convenerit VSV an COEMTIONE? & mox negat, VSV *non potuit; nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui;* quia omnis in manum conventio sive patre sive tutore auctore debuit perfici. Paulus & Papin. *Coll. LL. M. & R. Tit. IV.* §. *2. & 7.* Itaque omnibus tutoribus auctoribus Usu potuit in manum convenire, neque enim quod Thomasio visum *diss. d. V. P. Inst. d. nupt. p. 39.* Cic. negavit, Usu omnino uxores in manum non convenire, quod sane argumentum capitale fuisset, quo Cic. pro Valerio Flacco uti debuisset; sed negat saltem Valeriam non auctoribus tutoribus omnibus recte in manum convenisse, sive Usu sive Coëmtione; inde autem minus recte concluditur, uxores Usu in manum non convenire, sic etiam coëmtione in manum non conveniri dicendum foret; eodem enim argumento ab auctoritate tutorum deficiente petito Valeriam negat Usu & Coëmtione in manum rite convenisse. Præterea si Usu omnino in manum non convenitur, quæstio Ciceronis an Usu Valeria in manum convenerit, plane otiosa, & ratio, qua negat Valeriam in manum non convenisse, quod omnibus tutoribus in manum non convenit, supervacanea. Concludamus ergo cum Sigonio *d. antiquo Jure*

civium Rom. c. IX, Hotomanno *Antiqv. Rom. L. 2. p. 417.* Brissonio *d. Ritu Nupt. Tom. VIII. Ant. Rom. Grævii p. 1022.* Hubero Digress. *P. 2. L. I. c. 17. §. 5.* Rævardo *IV. Var. 16.* Paulo Merula *d. LL. Rom. c. IV. p. 1.*, Usu uxores ex sententia Ciceronis in manum convenisse. Accedit & illud, quod uxor, si Servii verbis *L. I. Georg.*, anno cum viro fuisset sine legibus, annali Usu usucapta, nisi trinoctium usurpandi caussa abfuerit, jure ac potestate usucapionis in viri mancipio esse cœperit. Gell. *III. 2.* hoc autem quid aliud est, quam in manu esse, sive viro annali Usu in manum convenire?

Dedi sententiæ hujus tribus modis, Farre, Coëmtione & Usu in manum conveniri auctores plane idoneos, maxime Ciceronem, Tacitum, Dionysium, Ulpianum, Gellium, quorum auctoritatem omnino par erat sequi, advocatis etiam in partes Servio & Boëthio, in quantum veterum vestigia premunt, nec ab iis secedunt. Amplexi sunt hanc sententiam Viri præstantissimi Carolus Sigonius *d. Antiquo jure civ. Rom. c. IX*, Brisson. *d. Ritu nupt.*, Petrus Pithoeus *ad Collat. LL. M. & R. Tit. XVI.* Fr. Hotomannus *Antiqv. Rom. Lib. 2. Operum Tom. V. p. 416. seqq;* Jo. Strauch. *Diss. ad Jus Justin. V. §. 7.* Janus a Costa *ad Rubr. Inst. d. Nupt.*, *& §. 2. J. d. SCto Tertull.* Brouwer. *d. jur. connub. Lib. I. c. 8.* Boekelmann. *ad §. 1. Inst. d. R. N.* Gerardus Noodt,

II. Pro-

II. Probabil. 9. Anton. Schulting. *Jurisp. Antejust. p. 34. & 591.* Gravina *d. Orig. Jur. L. 2. §. 28. p. m. 180. Lib. 3. §. 34. & 83. p. 330. & 395.* Rævardus *IV. Varior. 16.* & *ad LL. XII. Tabb. c. 1.* Everh. Otto *Diss. d. fœminarum tutela perpetua* §. *21.*, licet, si a Pithoeo, Strauchio, Noodtio, Schultingio, Ottone discessero, aliquando non bene cohæreant, quæ de tribus conventionis in manum modis Sigonius, Brissonius, Hotomannus & Gravina scripta reliquerunt.

Ex Sigonio *d. c. IX.* noto, quod putat, id marito *jus sui hæredis* tribuere, quod in coëmtione coëmtus esset, uxorem in manu ita intelligi in mariti potestate esse, ut sine eo auctore nec testari nec contrahere possit. Ex Brissonio *d. Rit. Nupt. p. 1020*, quod censet, quæ *coëmtione* in manum convenerunt uxores, proprie *matrumfamilias* nomine exaudiri, & *libro singulari ad L. Jul. d. Adult.* uxorem injustam esse, quæ in manum non convenit, sed *usu* habetur, quamvis ab hac sententia *libro d. Ritu Nupt.* videatur discessisse. Ex Hotomanno, Jano a Costa, Browero, Boekelmanno, Gravina, quod uxores Usu, uxores tantum, matronas, matrimonii duntaxat causa, non matresfamilias haberi opinentur; quæ omnia rationi conventionis in manum, quam farre, coëmtione, usu fieri docent Sigonius, Brissonius, Hotomannus, Janus a Costa, Gravina, non possunt convenire, ut suo

loco

loco a nobis demonstrabitur; quanquam & sic possint & debeant explicari Sigonius, Hotomannus, Janus a Costa, Browerus, Boekelmannus & Gravina. Uxores, quæ Usu h. e. matrimonii consvetudine *intra annum usucapionis* sive nondum impletæ, sive trinoctiali discessu interruptæ, uxores esse tantum, non matresfamilias, secus si *Usucapione impleta* jam Usu in manum convenerint; *utrobique* tamen justas uxores. Post annum usucapionis enim & tum demum Usu in manum convenire significarunt ipse Janus a Costa *ad pr. J. d. SCto Tertull.* & Boekelm. *d. l.*

§. VI.

Servii & Boëthii commenta de conventione in manum.

Probavi hactenus, duas esse uxorum formas, unam earum, quæ in manum convenerant, & matresfamilias dicebantur, altera earum, quæ sine in manum conventione uxores tantum habebantur, & matronæ tantum appellabantur. Probavi tres conventionis in manum esse modos, CONFARREATIONEM, COEMTIONEM, ET VSVM, quos omnes conjunctim significavit Arnobius Sec. III. Scriptor, *Lib. IV. adversus gentes*, his verbis: *Uxores enim ii habent, atque in conjugalia fœdera veniunt conditionibus ante quæsitis*, VSV, FARRE, COEMTIONE, *genialis lectuli sacramenta conducunt.* Etsi autem diserte conventionis in manum

manum eo loco nullam fecit mentionem Arnobius, ad eam tamen illa pertinere tanquam modos, quibus in manum convenitur, aliunde comprobatur, ideo', quod omisit Arnobius, non autem negavit, ex veterum auctorum suffragiis recte suppletur. Sed tamen vetus Virgilii Scholiastes Servius *I. Georg.* & *IV. Æneid.*, qui in Macrobii Saturnalibus colloquens inducitur, notante V. C. Fabricio *Bibl. Lat. p. 207.* ideoque temporibus Honorii & Theodosii Junioris cum Macrobio floruit, & post illum Boëthius sine auctoritate, & contra fidem Scriptorum Romanorum, qui vigente adhuc conventione in manum vixerunt, TRES NVPTIARVM MODOS constituerunt, eosdem, quos *non nuptiarum*, sed CONVENTIONIS IN MANVM MODOS probavimus, puta, VSVM, CONFARREATIONEM & COEMTIONEM; atque hanc sc. COEMTIONEM CONVENTIONEM IN MANVM re & verbo appellarunt, qua, Servii verbis, uxor *in filiæ locum*, maritus *in patris* veniret; ut si quis prior defunctus esset, locum *hæreditatis* justum alii faceret; & Boëthii commento *sola materfamilias* & viro loco filiæ esset; quasi hæc eadem in cæteris uxoribus Usu & Confarreatione ductis non obtinerent, nec hæ in filiæ locum venirent, nec viro matresfamilias essent; quamvis ne sic quidem sibi satis constent, & Servius mox

solam

ſolam coëmtionem conventionem in manum appellet, mox *conventionem* in manum quoque *ad farreatas nuptias* pertinere agnoſcat, mox Flaminis eam, quæ Tacito teſte, in manum conveniebat, *in nuptias ſive matrimonium tantum* dicat conveniſſe; Boëthius vero primo uxorem *Uſu* tantum, mox quæ *Uſu* & *Farreatione* uxor haberetur, matremfamilias neget. †

† Servii Danielis duo loca, quamvis quædam capita ex iis ſuperius ſint allata, hic integra transſcripſi. *Lib. I. Georg. ad Verſ. Teque ſibi generum: quod ait Emit, ad antiquum nuptiarum pertinet ritum, quo ſe maritus & uxor invicem emebant, ſicut habemus in jure; tribus autem modis apud veteres Nuptiæ fiebant, Uſu, ſi v. g. mulier anno uno cum viro, licet ſine legibus fuiſſet; Farre, ſi per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem per fruges & molam ſalſam conjungebantur, unde confarreatio appellabatur, ex quibus nuptiis Patrimi & Matrimi naſcebantur; coëmtione vero atque in manum conventione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, ut ſi quis prior fuiſſet defunctus, locum hæreditatis juſtum alii faceret.*

In vulgata Servii editione hoc loco nihil aliud notatum, niſi priora illa usque ad verba: *ſicut habemus in jure*, nihil ultra.

Idem Servius Daniel. *IV. Æneid.* in verbis

liceat

liceat Phrygio servire marito: Sane hic coëmtionis speciem tangit; coëmtio enim est, ubi libra atque as adhibetur, & mulier atque vir inter se quasi coëmtionem faciunt, quod ante jam in I. Georg. teque sibi generum Tethys emat: quoniam coëmtione facta mulier in potestatem viri cedit, atque ita sustinet conditionem liberæ servitutis; ait enim, liceat Phrygio servire marito, & in Georg. Tibi serviat ultima Thule: omnis quoque iste mos coëmtionis & citra nominis nuncupationem dotis datæ taxatione expediretur, quæ res in manum conventio dicitur, subjunxit: Dotalesque Tuæ Tyrios PERMITTERE DEXTRÆ: *quid est enim aliud dextra, quam in manum convenire? quæ conventio eo ritu perficitur, ut aqua & igne duobus, maximis elementis, natura conjuncta habeatur: quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem & Flaminicam jure Pontificio in matrimonium necesse est convenire.*

Et paulo post: *Mos apud veteres fuit, Flamini ac Flaminiæ, ut per farreationem in nuptias convenirent, sellas duas jugatas, ovili pelle superinjecta poni, ejus ovis, quæ hostia fuisset, & ibi nubentes velatis capitibus, in confarreatione Flamen & Flaminia residerent. Ait; igitur locavi; locata enim uxor dicitur, quod simul cum eo sedeat, dum confarreatur; confarreationes autem tonitru dirimit;* hactenus

nus Servius Danielis in vulgata ad verba: *permittere dextræ* hoc loco tantum notatum, *quare per manus conjunctionem & secundum jus locutus est.*

Boëthius *in Top. Cic. Comm. Lib.* 2. *Uxoris species sunt duæ, una matrumfamilias, altera Usu; sed communi generis nomine uxores vocantur: fit vero id sæpe, ut species iisdem nominibus nuncupentur, quibus & genera; mater vero familias esse non potest, nisi quæ convenisset in manum. Tribus enim modis uxor habebatur, Usu, Farreatione, Coëmtione; sed confarreatio solis Pontificibus conveniebat; quæ autem in manum per coëmtionem convenerant, hæ matresfamilias vocabantur. Quæ vero Usu vel Farreatione, minime. Coëmtio vero certis solennitatibus peragebatur, & sese in coëmendo invicem interrogabant; vir ita, an mulier sibi materfamilias esse vellet; illa respondebat, Velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse vellet; ille respondebat, Velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coëmtionem, & erat mulier materfamilias viro loco filiæ. Quam solennitatem in suis institutis Ulpianus exponit.*

A Servio, quam multis in rebus erratum sit, suo quoque loco, ubi ordo rerum ad argumenta singula nos deducit, commonstrabitur; quamvis haud sciam, an errores multi non magis iis, qui

qui manum Servio intulerunt, quam ipsi Servio debeant adscribi. Nisi me omnia fallunt, Servius quoque Grammaticus vim conventionis in manum, rectam juris rationem atque analogiam non satis habuit cognitam atque perspectam. Servii errores hic notavi præcipuos eosque sequentes: (1) quod putat maritum & uxorem se invicem coëmisse, (2) non conventionem in manum, sed nuptias fieri Usu, Farre & Coëmtione, (3) coëmtione atque in manum conventione (quam solam coëmtionem primo loco censuit, ideoque coëmtioni junxit) uxorem in filiæ locum, maritum in patris venisse, ut si quis prior defunctus esset, locum hæreditatis justum alii faceret, (4) coëmtione tantum mulierem in viri potestatem cedere, (5) morem coëmtionis citra nominis nuncupationem dotis taxatione expediri, eamque rem in manum conventionem dici, (6) permittere dextræ nil aliud esse quam in manum convenire, (7) aquam & ignem esse ritum conventionis confarreationi proprium, (8) in sola confarreatione Flamen & Flamina in ovili pelle (sive pelle lanata) residere, (9) locatam uxorem dici ap. Virgil., quod cum marito sedeat, dum confarreatur, (10) confarreationes quasi solas tonitru dirimi.

§. VII.

De conveniendi in manum Modis riis

Sic igitur evenit, ut doctrina de conventione in manum Servii Boëthiique commentis va-

variæ ſententiæ.

riis difficultatibus ſit involuta; de modis autem conventionis in manum inter viros doctos diſputetur; qui tribus modis Uſu, Confarreatione & Coëmtione in manum conveniri cenſent, eos ſupra §. 5. produximus. Alii contra duobus modis conventionem in manum fieri exiſtimarunt FARRE & COEMTIONE. Cujac. *ad Ulp. Fr. IX.* Mercerus *ad Alex. ab Alex. Dier. Gen. II. 15.* Gr. Tholoſanus *Synt. IX. 5. 31.* De Coëmtione non dubitant interpretes, & confarreationem quoque conventionem in manum eſſe probant Nicol. Abramus Comm. *in Cic. Orat. pro Marco Cœlio Part. I. p. 436.* Gutherius *de Jure Pontif. IV. 6.* †.

Vulgo tamen cum Boëthio creditum non conventionem in manum, ſed generatim nuptias tribus fieri modis: Uſu, Confarreatione, Coëmtione atque conventione in manum, ut ſic ſola coëmtio conventio in manum cenſeatur; atque eo itum a viris egregiis Alexandro ab Alex. *II. Genial. Dier. 5.* Antonio Contio *2. Lection. Subſec. 10.* Ægidio Hortenſio *ad Tit. Inſt. d. Nupt. & de SCto Tertull.*, Alciato, Goddæo, ad *L. 46. d. V. S.*, Antonio Ang. *d. LL. XII. Tab. §. 18.*, Budæo *notis prior. ad ff. p. m. 103.* Grotio *floribus ſparſis ad jus juſtin. h. t. ff. d. Rit. Nupt.* Antonio Guiberto Coſtano *Comm. d. matrimonio n. 76. ſeqq, & Dotibus c. 5. n. 9.* Tiraquello *LL. connub. IV. n. 5.*

n. 5. *seqq.* Laurent. *Polymath. III. Synops.* 8. Jacobo Rævardo *ad LL. XII. Tabb. c. XXI.* Marcello Donato *Dilucidat. ad Tac. L. IV.* Gabr. Palæol. *d. Nothis spuriisque filiis c.* 4., Guid. Pancirolo 2. *Variar. lect.* 126. Corn. van Eck *ad ff. n.* 67. *d. R. N.*, Oisell. *in Gell. IV.* 3. quo modo & solam coëmtionem conventionem in manum appellarunt Didacus Altiserra *d. fict. Jur. C. XI.* Quanquam viri docti, cum illi, qui duos conventionis in manum modos coëmtionem & confarreationem, tum hi, quis tres nuptiarum modos & in his solam coëmtionem conventionem in manum adstruxerunt, ita in hoc argumento versentur, ut huc atque illuc fluctuantes, cui sententiæ adscribas, in doctrina incondita & male cohærente, aliquando nescias. †

† Operæ pretium erit, notare aliqua ex his auctoribus, quæ ipsi eorum doctrinæ, quam proposuerunt, non bene videntur convenire.

Gregor. Tholos. *d. c.* 5. Confarreatione & Coëmtione docuit in manum conveniri, nec minus uxorem annali usu usucaptam agnovit, ideoque & Usu in manum uxores conveniri prætermittere non debuit.

Pari modo, qui cum Boëthio solam coëmtionem in manum conventionem, atque uxores coëmtione habitas matresfamilias appellarunt, quæ Usu & Confarreatione minime, sic rem egerunt, ut uxorem usu eam existimarint, quæ annuo

Usu usucaperetur; quorum in numero sunt Laurentius, Augustinus, Guibertus, Costanus, Jacobus Rævardus, Grotius; Usucapione vero uxorum admissa ex natura usucapionis sponte sequebatur, uxores usucaptas in manu mancipioque fuisse, sive quod idem, marito in manum convenisse.

Plane uxorem, quæ in manum convenerat, matremfamilias habuit ipse Boëthius, saltem is coëmtione tantum in manu conveniri docuerat; Laurentius autem in Polymathia, quamvis Boëthii doctrinam sibi visus proposuisse, ab eadem tamen aberrat: duo enim facit uxorum genera, unum uxorum, alterum matrumfamilias, & hactenus recte ex mente veterum ipsiusque Boëthii; mox addit, uxorem fieri Confarreatione & Usu, matremfamilias Coëmtione, idque ex sententia Boëthii contra fidem scriptorum Romanorum jurisque auctorum: denique farre, quo uxorem fieri non matremfamilias ipse paulo ante docuerat, in manum conveniri tradit, quod a mente Boëthii imo omnium est alienissimum; dum enim uxores in manu dicimus, semper matresfam. significamus.

Vir summus Jac. Cujacius *in tit. ff. d. Usurp. & Usucap. ad L. 2.* VXOR, inquit, AVT EST IN VSV, AVT IN MANCIPIO; quæ in Usu est, annuo Usu capitur; nec multo post: IPSO VSV jam VXOR facta est, nisi ex XII. Tabb. trinoctium abfuerit usurpandi causa,

causa, i. e. interrumpendæ Usucapionis causa; & ad Ulp. *d. Tit. IX.* ait: in manu est uxor, quæ convenit in manum. In manum aut CONFARREATIONE convenitur aut COEMTIONE. Sed addere debuisset, & VSV in manum transacto anno conveniri; neque enim post annum VXOR tantum facta est, qualis jam intra annum usucapionis fuit, sed simul in mariti MANVM CONVENIT, in ejusque MANV MANCIPIOQVE esse cœpit.

CAP. III.

DE EFFECTV CONVENTIONIS IN MANVM, CVM VSV, TVM CONFARREATIONE TVM COEMTIONE.

§. I.

Effectus conventionis in manum non recte soli coëmtioni adscripti.

MOdi Conventionis in manum sunt diversi, de iisque sc. Confarreatione *c. IV.* Coemtione *c. V.* Usu *cap. VI.* agitur sigillatim. Effectus conventionis sunt iidem; falsissimum enim est, quod Cornelius van Eck JCtus cætera egregius *ad ff. n. 67. d. Rit. Nupt.* notavit, effectum nuptiarum olim diversum fuisse, pro varia ratione nuptiarum, quæque, ut vel Confarreatione,

tione, vel Conventione in manum vel Usu contraherentur, ita alios atque alios sortirentur effectus, quorum rituum complura exstent in Jure nostro vestigia. Neque tolerandi sunt ex veteribus Servius *I. Georg. IV., & VII. Æneid.* Boëth. *in Top. Cic. Lib. 2.* ex recentioribus Sigonius *d. antiquo jur. civ. Rom. c. IX.*, Didacus Altiserra *d. fictionibus c. XI.*, Ægidius Hortensius *ad Tit. Inst. d. SCto Tertull.* Rævard. *ad LL. XII. Tabb. c. 21.* Gutherius *d. Jure Pontif. IV. 6.* Antonius Aug. *d. LL. XII. Tabb. § 18*, Goddæus *ad L. 46 d. V. S.* Marcellus Donatus *Elucid. in Tacit. Lib. IV.*, Alexandr. ab Alex. *2. Dier. Genial. 5.* Anton. Contius *2. Lect. Subseciv.* IV. Julianus Floridus, *ad Apulejum in Usum Delphin. Lib. VI. Metamorph.*, Dionys. *Gothofr. ad Ulp. Fr. IX.* aliique complures, qui in manum conventionis effectus, & maxime jus sui hæredis unice uxoribus, quæ Coëmtione in manum convenerunt, attribuerunt.

III Rectius sane in hoc argumento versati Viri egregii Janus a Costa *ad pr. J. d. SCto Tertull.* Pithoeus *Collat. LL. M. & Rom. Tit. XVI. §. 2.* Jo. Strauch. *diss. de jure maritor. in uxores Sect. 3. th. 14.* Gravina *d. Orig. Jur. L. 3. §. 83. p. m. 396.* Gerard. Noodt. *2. Probabil. 9.* Anton. Schulting. *Jpr. Antejust. p. 34. & 591.* qui ex doctrina veterum JCtorum in uxoribus, quæ in manu fuerunt, sive Confarreatione, sive

Coëm-

Coëmtione, ſive Uſu indiſtincte unos eosdemque effectus agnoſcunt & probant.

§. II.

Conventione in manum venit in poteſtatem.

Conventionis in manum vim & rationem paucisſimi plenisſime explicatam dederunt, plurimi in ſola ſuccesſione uxoris legitima, quæ vim conventionis in manum minime exhauriebat, acquieverunt. Poſteaquam tamen conſtat, uxores omni conventione in manum ſive confarreatione ſive Coëmtione ſive Uſu tranſiiſſe in viri poteſtatem, non maritalem ſed patriam, eamque, quæ Romanis legibus patri in liberos conceſſa, veniſſeque in ejus familiam proprio jure, quemadmodum *cap. I.* abunde probatum fuit, neceſſe quoque erat, uxori, quæ in manu eſſet, tanquam filiæ in mariti tanquam patris poteſtate conſtitutæ, omnia patriæ poteſtatis familiæque jura ex recta Romanarum legum analogia convenienter applicare. Et ſane conventione in manum veniſſe uxores in mariti poteſtatem & familiam, quod ante omnia hic fundamenti loco collocandum eſt, agnoverunt viri docti & JCti præſtantisſimi Franc. Duarenus *ad Tit. ff. d. Rit. Nupt. qu. 1.* Carolus Sigonius *d. antiquo Jur. civ. Rom. c. IX. p. m. 81.*, Gregor. Tholoſanus Syntagm. *IX. 5. n. 25. 26. 27.* Alber. Gentil., Goddæus *ad L. 46. d. V. S.* Brouwer. *d. Jur. connub. L. I.*

 c. 8.

c. 8. n. 6. Ægidius Hortenſ. *ad Tit. Inſt. d. Nupt. p. 23.*, Ant. Aug. *d. legibus* §. *18.* Gutherius *d. Jure Pontif. IV. 16. Lit. B.*, Marc. Donatus *Diluc. in Tac. L. IV. Annal.*, Gravina *d. Orig. Jur. L. 2. §. 28.*, *L. 3. §. 34. & 83.* Hotomannus *Antiqu. Rom. Lib. 2. p. m. 417.* Briſſon. *d. Rit. Nupt.* Janus a Coſta *ad Rubr. Inſt. d. Nupt.*, & *pr. J. d. SCto Tertull.* P. Pithoeus *d. Tit. XVI.* Strauch. *diſſ. de jure maritorum in uxores resque uxorias Sect. 3. th. 14.* Huberus *Prælect. ff. n. 2. d. R. N.*, *P. 2. Digr. L. 1. c. 17. n. 5.* Everhardus Otto *Diſſ. d. perpetua fœminarum Tutela §. 24.*, Noodt. *2. Probabil. 9.* Schulting. *Jpr. Antejuſt. p. 34. & 591.*, Ræv. *ad L. XII. Tab. c. 21.* qua ratione etiam ma-
Conf. Ev. Ottonis Papin. c. VII. §. 6. p. 115. ſq. tremfamilias in manu mancipioque eſſe, in familiam quoque & ſui hæredis locum veniſſe Tyraquell. *ad Alex. ab Alex. Genial. Dier. Lib. 2. c. 5.* Guibertus Coſtanus *comm. d. matrim. n. 77.*, Connanus *VIII. comm. 3.* atque alii plures probarunt, in manu mancipioque eſſe, in familiam mariti veniſſe, quid aliud eſt, quam in mariti poteſtate eſſe? De conventione in manum enim inter pleroſque convenit, illa uxores in poteſtatem mariti veniſſe ſaltem, cum ratione modi conveniendi in manum diſſideant, alii Confarreatione tantum, quorum in numero Charondas *ad Ulp. Fr. IX.* alii Coëmtione tantum, alii Confarreatione, Coëmtione & Uſu modo quidem diver-

diverso, eodem vero effectu non in matrimonium tantum, sed in potestatem quoque mariti venisse putarunt.

§. III.

Negat Thomasius transiisse in potestatem.

Qui diu multumque de omni Jurisprudentia bene meruit, & quotidie bene meretur, Vir Illustris Chr. Thomasius *Diss. d. Usu pract. Inst. d. Nupt. c. 1. §. 6. ibique in notis Lit. U. X. Y. Z.* quamvis Confarreatione uxorem matremfamilias factam, inque manum viro convenisse, eique ut filiam successisse, eoque intuitu inter suos hæredes relatam probet; tamen negavit, *uxores Confarreatione patrio jure exiisse, inque viri potestatem transiisse*, excepta saltem Flaminica Diali, quæ olim ante Tiberii Legem ap. Tac. *IV. Annal.* patrio jure exierit, post Tiberii legem tantum sacrorum causa in potestate viri, in reliquis vero ut cæteræ uxores a non Flaminibus Usu sive Confarreatione ductæ in potestate viri manserit. Quibus quamvis jam a viro raræ eruditionis Ant. Schulting. *ad Ulp. Fr. IX.* nuperrime responsum sit, & ex iis, quæ superioribus capitibus d. uxorum formis & natura conventionis in manum ex optimis auctoribus proposita sunt, satisfactum; operæ pretium tamen erit, ea, quæ attulit Thomasius, pace viri egregii, accuratius paulum examinare.

§. IV.

Examinatur Sententia Thomasii.

(1) Plane jam superiori *capite primo* §.3. probatum dedimus, uxores, quæ in manum convenerunt, & viro matresfamilias fuerunt, fuisse in potestate, cessisse in potestatem viri, in familiam mariti transiisse, fuisse in manu, in manu mancipioque viri, jus filiæ apud maritum consecutas esse, venisse in filiæ locum, maritum in patris; qua quidem potestatis, familiæ, manus, mancipii significatione omnino in persona liberorum, quorum loco, uxor, quæ in manu est, habetur, omnino patria potestas non distincta ab hac maritalis potestas demonstratur.

(2) Deinde veram hanc fuisse patriam potestatem, atque eandem, quæ in liberos competebat, ex effectibus in manum conventionis, iis, quæ aperte a Juris auctoribus indicantur, ubi singulos infra dedita opera diligenter excusserimus, eo evidentius apparebit.

(3) De loco Taciti *IV. Annal. 16.* vulgo minus recte a viris doctis explicato, ex quo illud sibi demonstrandum sumsit Thomasius, non est, quod laboremus. Verba Taciti hæc sunt: *Sub idem tempus de Flamine Diali in locum Servii Malugenensis defuncti legendo disseruit Cæsar (Tiberius.) Nam patricios confarreatis parentibus genitos, tres simul nominari, ex quibus unus legeretur vetusto more: neque adesse,*

adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine, aut inter paucos retenta. Pluresque ejus rei causas afferebat; potissimam penes incuriam virorum fœminarumque. Accedere ipsius ceremoniæ difficultates, quæ consulto vitarentur. Et quando EXIRET E IVRE PATRIO, QVI ID FLAMINIVM APISCERETVR, (i.e. adipisceretur. v. L. 1. §. 2. d.A. vel A.P.) QVÆQVE IN MANVM FLAMINIS CONVENIRET. *Ita medendum Senatus decreto aut lege, sicut Augustus quædam ex horrida illa antiquitate ad præsentem usum flexisset. Igitur tractatis religionibus placitum, instituto flaminum nihil demutari. Sed lata lex*, QVA FLAMINICA DIALIS SACRORVM CAVSA IN POTESTATE VIRI, CÆTERA PROMISCVO IVRE FOEMINARVM AGERET. Res ita habuit. Flaminica Dialis sive Flaminia, quæ erat Dialis uxor & Jovis sacerdos. Festus v. *Flammeo*, non uno nomine ex patrio jure exiit: SACERDOTIO, eodem modo, quo in potestate parentum esse desierunt, qui Flamines Diales inaugurabantur, & quæ virgines Vestæ capiebantur Ulp. *Fr. X.* §. 5. Mercerus *ad Tacit. h. t.* sic argumento Flaminis Dialis & virginis Vestalis colligo; Flaminicam Dialem enim, quæ & ipsa sacerdos erat, sive inaugurari sive capi debuisse, quemadmodum Flaminis Dialis capti inauguratique meminit Liv. *XXIII. 8.* dubitari

tari vix poteſt; capi autem propterea virgo dicebatur, quia pontificis manu prehenſa ab eo parente, in cujus poteſtate erat, veluti bello capta abducebatur, ut de Veſtali virgine narrat Gellius *L. 12.* Ideoque Flaminica, ut videtur, ſemper ſive ante ſive poſt Tiberii legem ſolo exiit ſacerdotio, etiamſi *in manum* Flamini, ut poſt Tiberii legem in Flaminica jus fuit, confarreatione non conveniret.

(2) Exiit ante Tiberii legem quoque & ſimul CONVENTIONE IN MANVM, qua omnes uxores, quæ patre auctore, cum in poteſtate eſſent, viro in manum convenerunt, exierunt, inque viri poteſtatem ceſſerunt; Poſt Tiberii legem autem, quod modo dictum, exiit tantum ſacerdotio ſive Flaminio, Confarreatione vero de cujus inſtituto nihil demutatum, in manum Flaminis h. e. in patriam mariti poteſtatem, ut olim, non convenit, quoniam id ſingulari privilegio Flaminicæ lege Tiberii conceſſum, ut non amplius, ut olim, eſſet in viri poteſtate, niſi ſacrorum cauſa: CÆTERA PROMISCVO IVRE FOEMINARVM AGERET. Promiſcua autem fœminarum jura non ſunt jura uxorum in manu ſive matrumfamilias, quibus ſane ſunt ſua peculiaria & propria familiæ jura, non promiſcua jura fœminarum: quænam ergo? quæ omnibus fœminis ſive nuptis ſive innuptis ſunt promiſcua; eadem, de quibus Cato

ap-

ap. Liv. *XXXIV. 2. Majores nostri nullam* NE PRIVATAM REM AGERE FOEMINAS, SINE AVCTORE voluerunt, in MANV esse PARENTVM, FRATRVM, VIRORVM; nec multo post *recensere* OMNIA MVLIEBRIA IVRA, *quibus* LICENTIAM *earum allegaverint, majores nostri, per quæque subjecerint viris.* Flaminica Dialis igitur, quæ sacerdotio e patrio jure exibat, in viri vero potestatem & manum confarreatione amplius non conveniebat, adeoque nec in matris, nec, absque causa sacrorum, in mariti potestate erat, ab eo tempore cætera promiscuo jure fœminarum h. e. ut reliquæ fœminæ suæ potestatis nuptæ sine in manu conventione, innuptæque OMNIA TVTORE egit, sicuti & virgines Vestales, cum captæ in parentum potestate esse desiissent, omnia tutore auctore tanquam promiscuo fœminarum jure egerunt, antequam jus trium liberorum, quod a tutela perpetua liberabat, ipsis ab Augusto concessum esset. V. Plutarch. *in Numa.* Dio Cassius *L. 56.* Lips. *d. Vesta. c. XI.* Cujacius & Schulting. *ad Ulp. Fr. X. 28.* †

† Constat, hanc clausulam: *Sacrorum causa in potestate viri, cætera promiscuo fœminarum jure ageret*, a viris doctis non una ratione explicari: Freinshemius Paraphr. Mercerus, Vertranius, Bosius *Diss. I. d. Pontif. Max. c. VI. in fin.* Walchius *notis ad Tac. h. l.*, cum iisque Tho-

Thomasius exponunt, lege Tiberii id constitutum esse, ut Flaminica in posterum tantum sacrorum causa in mariti potestate, quoad cætera vero, sicut reliquæ fœminæ, in patris potestate esset. Connanus accipit: ut uxor Flaminis in viri dominium mancipiumque iret, duntaxat Sacrorum causa in omnibus aliis rebus *maneret aut sui aut paterni juris.* Julianus Pichon Abbas Comment. *in Tacit. in usum Delph. h. t.* interpretatur: facta lex: qua Flaminica Dialis religionum gratia penes maritum esset, reliqua *communi mulierum more & lege agitaret.*

Flaminica Dialis, quanquam post latam legem Tiberii non amplius conventione in manum sc. Confarreatione e patris potestate in mariti potestatem transiret, exiit tamen e patris jure *sacerdotio* s. Flaminio, & si non exiisse sacerdotio e patris potestate fingeretur, tamen jure uxorum tantum agere debuisset, *jure matrumfamilias* agere non potuisset, utpote quæ non uxores tantum, sed in manu quoque habentur; neque enim *jura promiscua fœminarum jura matrumfamilias* ulla ratione possunt significare, nec sola appellatio *fœmina* uxorem, quæ non in matrimonium tantum, sed in manum quoque convenit, demonstrat. Interpretatio Connani etiam admitti non potest, desinit enim sacerdotio in parentum potestate esse, nec manet paterni juris. Sed ut eo redeam, unde discessi, Flaminica Dialis, postquam lege Tiberii Confarreationi, quoad illam,

illam, singulari privilegio, ademti omnes patriæ potestatis effectus, quæ conventionem in manum consequebantur, patrio jure sacerdotio exiens, absque sacrorum causa, cœpit cætera omnia promiscuo fœminarum jure h. e. *ut reliqua suæ potestatis fœminæ omnia tutore auctore agere.* Appellat hanc fœminarum tutelam perpetuam Boëth. *in Top. Cic. IV.* de qua aliqua suggerit Ulp. *Fr. XI.*, ubi lege aut legitimo judicio tutore auctore agere dicitur, ad negotia vero ipsæ missæ, cum viri potentes XII. annis esse cœperunt. Tertull. *d. veland. virgin. c. 12.* recte mulieri adultæ solvi possit. Cic. *Top. c. 11.* imo & plura ipsis licuisse ostendit Ulp., ut adeo in multis a pupillis destiterint mulieres, nisi quod prisco illo ævo rigidius cum mulieribus actum conjiciat ex Orat. Catonis ap. Liv. *34.* doctissimus Schulting. *Jpr. Antej. p. 603.* de perpetua fœminarum tutela egerunt Cujac. *VII. Observ. 11.* & *speciali Diss.* Everh. Otto. Diximus id Flaminicæ, quæ necesse habebat, cum Flamine farreatas nuptias inire, singulari jure & privilegio concessum, ut confarreatione, sicut olim ipsa & inposterum reliquæ uxores in manum potestatemque viri non amplius conveniret, adeoque in Flaminica confarreatio omni conventionis in manum vi & effectu destitueretur. Instat Thomasius, absurdum videri, per istam legem diminutum saltem fuisse jus Dialibus Flaminibus quæsitum; reliquo populo vero confarreationis ritu utenti jus integrum

grum mansisse. Sed necessitas hanc expressit legem, nihilque habet absurdi; Flaminica per Confarreationem nuptias debuit inire, ideoque semper in manum Flaminis convenire; cæteris uxoribus liberum fuit, aut convenire in manum, aut matrimonium tantum; itaque visum, in Flaminia hæc cum quodam moderamine ita temperanda esse, ut nihil de instituto Flaminum & confarreandi assvetudine demutaretur: verum confarreatione Flaminica non amplius in manum Flaminis conveniret, sed ut uxores tantum, & reliquæ innuptæ fœminæ omnia eo, quo dixi, promiscuo fœminarum jure ageret. Licet enim in universum cum doctissimo Schultingio *ad Fr. Ulp. Tit. IX.* suspicari, videri mulieres, postquam auctæ sunt Romanæ opes ac emolliti mores, non ita amplius voluisse sese suaque omnia maritis subjicere, sed simpliciter sine conventione in manum nuptias contrahere.

§. V.

Jus occidendi uxorem in manu an marito fuerit?

Conventionem in manum igitur, quæ genus transitus erat in alienam familiam, & in fœmina, quæ in patria potestate erat, idem quod adoptio, & in fœmina sui juris idem quod arrogatio præstabat, recte advertentibus Brissonio *d. R. N.* & Hubero *Præl. ff. eod.* Goddæo *ad L. 46. d. V. S.* omnia patriæ potestatis familiæque jura consequebantur, quorum præcipua, unde reliqua per consequen-

quentias facile possunt deduci, excutiemus. Et primo quidem loco de jure occidendi, vendendi liberos, quod argumentum haud ita pridem egregie, ut solet, opusculo speciali exsecutus Bynckersh., aliqua attingemus.

Et sane cum Romulus ap. Dionys. *Lib. 2. p. 52. omnigenam potestatem patri dedisset in filium, & quidem toto vitæ tempore, sive in carcerem eum conjicere, sive flagris cædere, sive vinctum ad rusticum opus detinere, sive occidere vellet*, hæc eadem in matresfamilias, quæ marito in manum filiæque locum venit, videri possunt obtinuisse. Etenim & de omnigena potestate mariti in uxorem, quæ ex sacris legibus ei in manum convenisset, scriptum reliquit Dionys. *L. 2. p. m. 52. Si qua in re deliquisset, ipsum, qui injurias passus erat, judicem habebat, qui pœnæ magnitudinis erat arbiter. De his vero cognoscebant ipsi cognati cum viro, ubi violata pudicitia fuisset, & si quam mulierem vinum bibisse constitisset. Romulus enim hoc utrumque, ut muliebrium delictorum gravissimum puniri jussit, quia stuprum dementiæ, ebrietatem vero stupri originem esse judicavit. Et diu duravit hoc utrumque apud Romanos, ita, ut inexorabilis esset ira.*

Neque eo secius vitæ necisque arbitrium, quod patri in liberos in potestate constitutos dedit, lex Regia marito in uxorem, & quidem eam, quæ ex sacris legibus in manum conve-

 nit,

nit, omnimodo concessum esse haud potuit. Si verum est, quod de nuptiis sacratis testatus est *d. L.* 2. Dionys., *Farris communicationem, virum & uxorem necessario conjugii inseparabilis vinculo conjunxisse, ac nihil fuisse, quod has nuptias possit dissolvere, & hanc Romuli legem & ipsos maritos coegisse, ut rem necessariam, a qua nullo modo divelli possent, uxorem retinere*; adeoque paterna majestas, quæ omnino marito competebat, hactenus Lege Romulea impedita atque imminuta, quatenus ratio sacrarum nuptiarum & vinculum inseparabilis conjugii efflagitaret. Quodsi enim marito libera potestas uxorem occidendi fuisset, ut patri olim fuit; sane maritus, utcunque libitum esset, dissolvere hujus conjugii indissolubilis vinculum potuisset. Neque vero diffiteor, licuisse olim apud Romanos ante promulgatam ab Augusto Juliam legem marito interdum in utroque uxoris delicto, cum vinum bibisset, & adulterium commisisset, ad necem uxoris descendere, quod ipsum significavit Dionys.; sed non omnimodo & indifferenter, & quoties pro suo arbitrio maritus vellet. Neque illa vitæ necisque potestas in his, quæ dixi, delictis, marito ex patrio jure & conventionis in manum vi ac ratione data, sed ante legem Juliam omnibus maritis in uxores, etiam eas, quæ sine conventione in manum haberentur concessa; quamvis autem adul-

adulteram privato mariti & cognatorum judicio ex lege Romuli morte puniri neget Cujac. *VI. Obs. 25.* & Dionysius ζημιοῦν, quod est, multam infligere & Gellium *mulctare*, non *necare* dixisse putet, recipiendus tamen non est, cum sit in Codice Vaticano Dionys. θανάτῳ, quod vulgares omittunt; & ap. Gellium optimorum Codicum fide legatur *necare*. v. Merula *d. LL. Rom. c. IV.* & Lengnich. erudita Diss. *d. Origine & Progr. Pœnæ adult. ap. Rom. c. 1. §. 5.* De hoc jure occidendi uxorem adulteram in Orat. Catonis de dote ap. Gellium *X. 23.* ita scriptum: *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares, illa te si adulterares, digito non auderet contingere, neque jus est.* Quomodo & Valerius Maximus *L. 2. c. 1.* memorat, Egnatium Metellum uxorem, quod vinum bibisset, fuste interemisse. v. Plutarch. *Qu. Rom. 6.* & Gell. *d. c. 23.*

Lege Julia de adulteriis ita res habuit: Pater filiam adulteram in potestate constitutam patrio jure, quæ eo autem auctore in manum mariti convenisset, si eam in rem gener socerum adhibuisset, ex potestate legis Juliæ occidere potuit; imo sive in patris potestate, sive mariti manu esset, occidere *debuit*, si impune adulterum domi suæ generive prehensum vellet occidere.

Sententiam legis Juliæ proponit Paulus

Coll. LL. M. & Rom. IV. 2.: secundo vero capite, inquit, *permittit pater* (permittit patri Pith. permittitur pater Schulting.) *filias suas, quas in potestatem habet, ut in ea*, QVÆ AVCTORE EO IN MANVM CONVENERIT, *adulterum domi suæ generive sui deprehenderit, in quem eam rem socerum adhibuerit* (emendat Schulting. isque in eam rem socerum adhibuerit) *ut is pater, cum adulterum sine fraude occidat, ita ut filiam in continenti occidat.* Eamque confirmat Papinianus Coll. LL. M. & R. IV. 7. his verbis: *cum quæratur, an pater emancipatam filiam jure patris accusare possit, ex sententia legis Juliæ respondit, occidendi quidem facultatem lex tribuit eam filiam, quam habet in potestate, aut eo auctore in manum convenit, sed accusare jure patris nequidem emancipatam filiam prohibetur.* Annotat ad Paulum *d. §. 2.* Schulting. jus occidendi filiam, quam in potestate non habet, sed quæ eo auctore generi in manum convenit, illi non nisi genero implorante datum videri, quod & Pithœo *d. l.* visum; ac de eo opus fuisse, specialiter lege caveri. Contra maritus, qui olim uxorem adulteram, sive in manu erat, sive sine in manum conventione uxor tantum habebatur, impune occidere poterat lege Julia, illam necare indistincte prohibetur, Paulus *II. sent. 26. §. 3.* & *Coll. LL. M. & Rom. IV. 12.* quo in loco ex liberis, quos occidere jus fuit, uxor

in

in manu, quæ liberorum numero habetur, diserte excepta videtur, existimante cum Nic. Fabro Petro Pithœo *ad* §. *12.* Rationem differentiæ inter patrem & maritum lege Julia inductæ indicat Papinianus *L. 22.* §. *4. ff. ad Legem Jul. d. Adult. Ideo autem patri*, inquit, *non marito, mulierem & omnem adulterum permissum est occidere, quod plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit; cæterum mariti calor & impetus facile decernentis fuit refrænandus.*

Cæterum video Virum summum Gerhardum Noodtium in Julio Paulo *c. 2. 4. 5.* & *Amica Responsione ad Bynckersh.* opusculum *de jure occidendi exponendi vendendique liberos* negare, jus necandi atque exponendi partus ad patriæ potestatis jura quicquam attinuisse, eum & matri licuerit, autoritate Scævolæ in *L. 29. de manumissis testam.* Quintil. *Declam. 306.* Julii Firmici Materni *Lib. 7. Mathes.* & tandem utrique parenti infantum necem prohibitum esse constet ex *L. 8. C. ad Legem Cornel. de Sicariis.* Sed omnino patriæ potestati tribuendum est hoc occidendi jus, utpote quod autoritate Dionysii *L. 2.* Constantini *in L. 2. pr. C. Th. de liber. caus.* & maxime Formula arrogationis apud Gellium *V. 19.* abunde confirmatur; contra exempla expositi a matre partus, non probant ita jus fuisse nec ex *d. L. 8.*

prohibitio utrique parentum potest evinci. vid. Bynckersh. *d. Tract. c. I. & IX. p. 211.*

§. VI.

An Jus vendendi.

Quid autem de jure vendendi liberos in uxore existimemus, quæ in mariti manu est, aut ejus, in cujus maritus est potestate, & marito filiæ loco, ejus patri nepotis loco habetur?

Lex Romuli de venundatione liberorum patri permissa, a Numa auctore Dionysio *L. 2. p. m. 53.* probata, ab ipsis Decemviris in XII. Tabb. relata fuit, cujus verba ex L. XII. hæc recitat Ulp. *X. 1.* SI PATER FILIVM TER VENVM DVIT, FILIVS A PATRE LIBER ESTO: quamvis autem neget Vultejus *ad pr. J. d. Patr. Pot.* id jus unquam parentibus in liberos Romæ fuisse, sed tres venditiones fuisse tantum imaginarias; & Aleand. *ad Caji Inst. L. 1. T. 6.* Dionysii fidem veras venditiones intelligentis in dubium vocet; denique Rævardus *ad L. XII. c. 3.* putet, Romulum quidem tres venditiones veras intellexisse, Decemviros vero substituisse imaginarias: Dionysium tamen recte defendunt Oisel. *ad Caj. Inst. 6.*, Marcil. *ad L. XII. c. 25.* Schult. *ad Ulp. d. l.* Bynckersh. *d. jur. Occid. Lib. c. 1.* atque verum est, quod eodem loco probant Oisel. & Schulting. atque Janus a Costa *ad pr. Inst. d. Patr. Pot.* Prudentum demum solertia & commentis hoc εὑρηματικὸν repertum videri, ut

ut imaginariis venditionibus & manumissionibus filius posset evadere patris potestatem.

Quamdiu substiterit illud jus vendendæ prolis, accurate definiri haud potest: probabile tamen est, Jureconsultos, posteaquam humaniorem philosphiam ad juris prudentiam attulerunt, venundationem liberorum damnasse, Balduinus *Constant. p. 248.* adeoque non demum ex constitutione Diocletiani in *L. 1. C. de patribus, qui filios suos distrax.*, ut voluerunt Marcill. *ad L. XII. Tab. c. 25.* Giph. *ad L. VII. C. d. Patr. Potest.* Sed jam ævo JCtorum, quorum fragmenta in Pandectis supersunt, certe ab Adriani ævo & ætate Juliani (v. *L. 39. §. 3. ff. d. Evict.*) cessasse, quemadmodum calculis non male positis conjicit Bynkersh. *d. Fr. c. 6.*

Interim quæ in liberis ex severa Romuli lege obtinuit venditio vera ac seria, ea quousque viguit, in uxore, quæ in mariti manu, aut ejus, in cujus maritus potestate fuit, non videtur admissa. Plane in Numæ Pompilii legibus diserte patri negatum, filium in potestate vendere, qui eo permittente uxorem, quæ ex legibus particeps sit & sacrorum & bonorum, duxisset, in quibus auctore Dionys. *L. 2. p. m. 50.* sic scriptum fuit: SI PATER PERMISERIT FILIO, VXOREM DVCERE, QVÆ EX LEGIBVS PARTICEPS SIT ET SACRO-

CRORVM ET BONORVM, PATRI POSTHAC NVLLVM IVS ESTO VENDENDI FILIVM. Vulgo legem Numæ de quavis uxore etiam sine conventione in manum ducta accipiunt Balduin. *ad LL. Rom. XIII.*, Lipsius *in LL. Regiis lege Numæ XIII.*, Gravina *d. Orig. Jur. p. m. 173.*, Gerardus Noodt. *Comm. in ff. d. his qui sui l. alien. jur. p. 36.*, Hotomannus *d. Rit. Nupt. c. 3.*, Ulric. Huber. *P. 2. Digr. L. 1. c. 15.*, Bynkerh. *d. c. 6.*

Et fateor, Plutarchus in Numa, ita Numæ sancita retulit, quasi de filio, qui quasvis, consentiente patre, nuptias contraxisset, non vendendo, generatim caveant: verba Plutarchi: *Laudatur ex civilibus Numæ institutis correctio legis, quæ patribus dabat jus vendendi liberos suos; excepit enim eos, qui uxores duxerant, si patre probante ac jubente nuptiæ contractæ erant: durum enim putabat, mulierem, quæ ut libero nupserat, servi esse uxorem.* Equidem Dionysius ipsa verba legis Numæ affert, *in quibus*, inquit, *ita scriptum est*, quæ satis ostendunt, caveri de uxore, quæ ex sacris legibus in manum convenisset, & ex Romuli lege particeps esset & sacrorum & bonorum, ut recte observarunt Aleander *ad Caj. Inst. 2. 6.* & Schulting. *Jpr. Antej. p. 529.* De ratione legis concertant viri docti. Plutarchi rationem, quod Numa durum putarit, mulierem, quæ homini libero nupsisset, servi fore uxorem,

probat

probat Grav. *d. l.* Doctiſſimus Schulting. *c. l.* duas ſuggerit, unam, ne matrimonium tali modo dirimi poſſet; alteram, ne vir aut mulier ſucceſſione aut jure ſuorum hæredum poſſent defraudari. Hæret in vi ac ratione legis Hier. Aleander *ad Caj. Inſt. I. 6.*, nec de vera venditione, ſed emancipatione legem accipit, ut emancipare filium jus non fuerit, ne uxor, quæ in manu eſſet, aliis atque mariti ſacris adſtringeretur, filio enim emancipato uxorem in ſacris ſoceri manſiſſe, emancipatum vero propria ſibi ſacra conſtituiſſe. Diſplicet Plutarchi ratio; ſic enim contra mentem & verba legis eadem in quibusvis nuptiis a Numa ſtatuta fuiſſent. Aleandri ratiocinationem ineptam cenſet Sculting., cum ſic non potuiſſet filius emancipari, quod tamen in aliis licuiſſet. Sane ex indiſſolubili conventionis in manum ex ſacris legibus vinculo ita ſtatuendum videbatur, ne filium vendendi jus eſſet, quod quamvis de veris venditionibus in Numæ legibus ſtatutum, juſta tamen conſequentia ad emancipationes liberorum imaginarias, diu poſt legem Numæ prudentum commentis repertas, produci poteſt, quodſi enim vere filium vendere ideo non licet, ne dirimi nuptiarum ex ſacris legibus vinculum poſſet, & ne vir aut uxor jure ſuorum hæredum defraudetur, quam rationem ſuggerit & probat Schulting.; ex eadem

 ratio-

ratione non inepte inferri poterit, ergo nec emancipari filius poterit. Id enim si fit utique, quamvis connubium idque tantum remaneat salvum, conventio in manum tamen ex sacris legibus dirimitur, atque uxor jure sui hæredis ad mariti hæreditatem defraudatur, nec particeps cum eo amplius est & sacrorum & bonorum. Constat ex Gellio *L. 12.* virginem vestalem capi nefas esse, quæ non sit patrima & matrima, item quæ ipsa aut cujus pater sit emancipatus, & licet suspicari, virginem Vestalem ut Flaminem Dialem confarreatis parentibus genitam esse debuisse; quæ si ita sint, videant viri docti, an non id eo pertineat, patrem ob inseparabile confarreationis vinculum emancipari haud potuisse. Quicquid hujus rei sit, quousque servatum fuit, ut conventionis in manum ex sacris legibus indissolubile esset vinculum, neque filius a patre, nec uxor a marito, in cujus manu esset, sive vendi sive emancipari potuit.

Posteaquam autem insequenti ætate licentia divortiorum increbuit, & diffarreatio item remancipatio uxorum admissa, omnino emancipare uxorem licuit, sed non invitam. Paulus *2. Sent. 27.* §. *5.* vid. *Cap. 3.* §. *13.* De venditione vera autem amplius quæstio superesse haud potuit, utpote succedentibus temporibus moribus etiam in liberis damnata.

§. VII.

§. VII.

Per liberos in potestate patri acquiritur.

Patriæ quoque potestati id Romana legislatione datum, ut per liberos in potestate mancipioque omnia sibi acquirant, & erat hæc acquisitio maximus & præcipuus patrii juris effectus, ex qua innumeræ conclusiones justa interpretatione a prudentibus deducuntur. Olim igitur vivente patre liberi in patria potestate nihil proprium possidebant. Dionys. *Lib. VIII.* Sed omnia patri per eas personas, quas in potestate habebat, acquirebantur. Ulp. *Fr. XIX.* §. *18.* Cajus *2. T. 1.* §. *7.*, *L. 10. d. acquir. rer. dom.*, *L. 79. d. acquir. vel omitt. hæred.*, *L. 1. Si quis a parente manum.*, *pr. Inst. quib. non est permiss.* hinc Seneca *VII. d. benef. 7. omnia patris sunt, quæ in manu liberorum sunt.* add. Philo Judæus *de Decal.* & Sextus Empir. *Pyrrh. hypoth. L. 3;* inde fit, quod cum eo, quem in potestate habemus, lis nulla esse possit, nisi ex castrensi peculio *L. 4. de Judiciis.* (2) Quod cum filiofamilias *furti agere* non possit pater *L. 16. d. furt.* nisi quod ex peculio castrensi actione utili teneatur *L. 52.* §. *5. d. furt.* (3) quod pater filiæ, quam in potestate habet, *donare non possit*, ita tamen, si emancipatæ non adimit, ex postfacto donationem videatur perfecisse *L. 31.* §. *2. d. Donat.* (4) & alia ejusmodi plura, quæ tetigit passim, licet

licet non semper ex justo principio evolverit Antonius Faber *Jpr. Papinianea.*

Neque jus acquirendi patris per liberos in potestate, in filiorum peculiis castrensibus & quasi castrensibus, quamvis principum constitutionibus aliquo modo circumscriptum fuerit, omnino cessavit: In libera republica peculia liberorum *una* & *simplicia* erant, puta profectitia, cujus fructus & proprietas patris erat. Huber. *Præl. J. n. 2. Per quas pers. cuique acqv.* Sequentibus temporibus militi per leges sive principum constitutiones permissum, castrense peculium habere. Cajus *2. Inst. 1. §. 7., L. 4. §. 2. d. Castr. pecul.* & ex auctoritate Augusti Nervæ & Trajani concessum, de peculio castrensi testari. Ulp. *Fr. XX. §. IV.* Ad imitationem castrensis peculii tam anteriores leges quam principum constitutiones QVASI CASTRENSIA superinduxerunt. *L. 37. §. 1. d. Inoff. §. fin. J. d. Milit. testam.*, quæ dederunt (1) EX IVRE PRÆCINCTIS teste Theod. Jun. *L. 3. C. Th. d. Postulando*; puta: PROCONSVLIBVS, PRÆFECTIS LEGIONVM, PRÆSIDIBVS PROVINCIARVM, referente Just. *L. VII. C. d. Inoff.* a quo non constat, testes tamen sunt, quos nominavi, Theod. & Just. (2) PALATINIS ex const. Constantini *in L. un. C. Just. d. Castr. omnium Palatin. pecul.*, quæ est *L. VII. C. Theod. d. privil. eorum, qui in sacro palatio.*

(3)

(3) SCRINIARIIS EXCEPTORIBVS, CÆTERISQVE, qui IN OFFICIO culminis PRÆFECTI PRÆTORIO merendi licentiam habent, ex Conſt. Theod. & Valent. in *L. VII. C. d. Caſtrenſ. peculio milit.* (4) ASSESSORIBVS & univerſorum judiciorum ADVOCATIS ex conſtitutione Honorii & Theod. in *L. 7. C. d. Aſſeſſ.*, & *L. 4. C. d. advoc. diverſ. judic.* (5) EPISCOPIS, PRESBYTERIS atque DIACONIS ex Conſtitutione Leonis & Anthemii in *L. 4. C. d. Epiſc.* & quidem cum hoc effectu, ut ante Juſtinianum omnes patri ſuperſtites præcipua haberent, quibusdam ſaltem, iis, quibus nominatim conceſſum, de iis teſtari liceret. *§. fin. J. d Milit. Teſtam.*, v. Golh. *ad L. 1. C. Theod. d. Poſtul.* ex Juſtiniani vero conſtitutione, ut omnes non modo præcipuum haberent, ſed ſimul de iis teſtari poſſent. *L. ult. C d. inoff. Teſtam.*

Quanquam autem ſic certo modo impeditum atque ſuſpenſum erat jus acquirendi patris per filium; ſi tamen filiusfamilias de caſtrenſi aut quaſi caſtrenſi peculio non eſſet teſtatus, pater jure acquiſitionis *retro credebatur dominium habuiſſe L. 44. pr. d. Leg. 2. L. 19. §. 3. d. Caſtr. Pecul.* resque peculii caſtrenſis tunc *acquiſita* credebatur, cum filius deceſſerit. *L. 98. §. 3. d. Sol.* adeoque filio inteſtato mortuo *apud patrem remanebat. L. 1. d. Caſtr. pecul.* nec *quaſi hæreditas*, ſed *quaſi peculium* patri

patri deferebatur. *L. 2. eod.* hoc effectu, ut creditoribus tantum *intra annum* & quidem *peculiotenus* teneretur. *L. 17. §. 5. eod.* v. Giphanius, Rittersh., & Hortenſ., Janus a Coſta, Vinn. *ad pr. J. quib. non eſt permiſſ.* Schulting. *Jpr. Antej. p. 88.*

Tandem ubi & adventitia peculia ſupervenerunt, & quidem (1) ex Conſtantini Magni conſtitutione in *L. 4. C. Th. d. Bonis Matern.* IN BONIS MATERNIS. (2) Ex conſtitutione Gratiani & Valent. *in L. 6. C. Th. eod.* Honorii in *L. 7. eod.* & Arcadii in *L. 8. eod.* in BONIS MATERNI GENERIS. (3) Ex *L. 1, 2, 3. C. Th. de bonis quæ filiiſfam. ex matrim.* Impp. Theod. & Valentin. IN BONIS EX MATRIMONIO ſive a marito ſive ab uxore quæſitis. (4) Ex conſtitutione Leonis & Anthemii in *L. 5. C. Juſt. d. Bon. quæ lib.* IN SPONSALITIIS DONATIONIBVS (5) denique ex conſtitutione Juſtiniani in *L. 6. C. d. bon. quæ lib. in poteſtate.* IN OMNIBVS REBVS, QVÆ FILIISFAMILIAS NON EX PATRIS SVBSTANTIA, SED ALIBI EXTRINSECVS OBVENIRENT; quæ omnia pater ante Conſtantini tempora & has, quas dixi, Impp. conſtitutiones pleno jure, ab eo inde tempore vero non ulterius, quam quoad uſumfructum acquirebat, filio ſervata proprietate, Imperatores ſimul legitimam patris ſucceſſionem in adventitiis peculiis ordinarunt,

runt, cum ad causam intestati res venisset, ad quam semper venire debebat, cum de adventitiis testari non possent.

§. VIII.

Eadem ratione marito tanquam patri per uxorem in manu acquiritur.

Atque hæc de acquisitione patris per liberos in potestate peculiique jure sedulo prænotanda erant, ut eo convenientius de Uxoribus, quæ in manu erant, judicari posset, an & quomodo per has quoque marito patrio jure acquireretur.

Et sane per uxorem, quæ in manu esset, omnia marito acquisita fuisse, diserte docuit Ulp. *Fr. XIX.* §. *18. 19.* verba Ulpiniani: *Acquiritur autem nobis etiam per eas personas, quas in potestate,* MANV *mancipioque habemus,* (sc. per liberos, quos in potestate, per uxores, quas in manu, per servos, quos in mancipio proprie habemus.) *Itaque siquidem* (*mancipio puta*) *acceperint aut traditum eis sit, vel stipulati fuerint, ad nos pertinet. Itemque si hæredes instituti sunt, legatumve eis sit, & hæreditatem jussu nostro adeuntes nobis acquirunt, & legatum ad nos pertinet.* Nec aliud sive voluit, sive potuit significare Cic. *in Top. IV. cum mulier viro in manum convenit,* OMNIA, QVÆ MVLIERIS FVERVNT, *viri fiant dotis nomine.* Equidem tribus modis dos constitui solebat, aut DARI, aut DICI, aut PROMITTI Ulp. *Fragm. VI.* dari, i. e. tradi

di *L. 46. de jure dotium*; DICI sive explicante Nonio p. 643. promitti solenni formula TANTUM TIBI ERIT DOTIS NOMINE ut conjicitur ex *L. 44. §. 1. L. 46. §. 1. L. 57. L. 59. de jure dotium* & acceptilatione mariti his verbis: ACCIPIO CONDITIONEM. Terentius & ad eum Donatus *in Andr. Act. 5. Sc. 4. vers. 47. & 48.* dotem tantum dicere poterat mulier nuptura, & parens mulieris virilis sexus per virilem sexum cognatione junctus, velut pater & avus paternus Ulp. *VI.* v. hæc docte explicantem Noodt. *Comm. ad ff. de jure dot. p. 503.* Igitur omnia, quæ mulieris fuerunt, dotis nomine dicta, marito per uxorem in manu jure patriæ potestatis acquiruntur; doti enim dicebant uxores, quæ in manum convenerant, pecuniam suam. Cic. *pro Flacco c. 35.* ideoque ut erat in formula dotis dictionis DOTIS NOMINE mariti fiebant; idque confirmat ratiocinatio Boëth. *Comm. in Top. Cic. Lib. 2. dispicio,* inquit, *quid perfecerit ipsa in manum conventio, atque ex eo argumentum traho; id autem est: Omnia viri dotis nomine fieri, quæcunque mulieris fuere, viri fieri dotis nomine, non præcedens tempore, sed statim propria vi naturæ.* Et omnino statim viri fiebant propria omnia, quæ uxoris erant vi conventionis in manum h. e. in patriam potestatem, quam in rem eleganter Ulp. *L. 79. d. Acquir. vel omitt. hæred. Placet,* inquit, *quoties acquiritur*

itur per aliquem hæreditas, vel quid aliud ei, cujus quis in potestate est, CONFESTIM *acquiri ei, cujus est in potestate*, NEQVE MOMENTO ALIQVO *subsistere in persona ejus, per quem acquiritur, & sic acquiri ei, cui acquiritur.* Notandus hoc loco opportuno communis error, quo Servio Grammatico antesignano, vulgo creditum, conventione in manum facta maritum & uxorem *sibi invicem successisse.* Sic enim Servius *I. Georg. Coëmtione vero atque in manum conventione uxor in filiæ locum, maritus in patris veniebat, ut si quis prior defuisset, defunctus locum hæreditatis justum alteri faceret:* atque idem VII. Æneid. *per coëmtionem facto matrimonio maritus & uxor sibi invicem succedebant.* De uxore verum est, illam marito suam hæredem fuisse, de eaque loquuntur Dionys. Gellius, & JCti veteres, atque agetur inferius. De marito falsissimum, illum uxori in manu ab intestato hæredem fuisse; neque eo secius Servium secuti etiam majorum gentium JCti, Rævardus *ad L. XII. Tab. c. 21.*, Hotomannus *Antiqu. Rom. L. 2.*, Janus a Costa *ad Rubr. J. d. Nupt.*, Altiserra *d. Fict. c. 2.* Sigonius *de antiquo jure civium Romanor. c. IX.*, Antonius Guibertus Costanus *Comm. d. Matrim. d. l.* Contius *2. Lection. subsec. 10.* Abraham a Kerckraad *diss. d. jure patrio p. 43.*, Gravina *d. O. J. p. m. 396.* Brisson. *d. Ritu Nupt.*, Gutherius *d. jure Pontif.*

L.2.c.6. quamvis & ipsi hæreant, qua ratione maritus ab intestato uxori in manu potuerit succedere. Sigonius ait, quod coëmtus erat, id ei *sui hæredis jus* tribuebat, Jano a Costa & Contio tanquam *legitimum hæredem* non tanquam suum hæredem successisse, quia fœmina nullum suum hæredem habere potest, quod & Brisson. & Hilliger ad Donellum *Lib. VII. c. 2. lit. f.* probant. Gravina *jure consanguinitatis*, quod inter ejusmodi conjuges intercesserit; Gutherius coëmtione bona mulieris acquisivisse, adeoque non pro hærede sed *pro emtore* possedisse.

§. IX.

Maritus uxori in manu non successit, sed per ea omnia ex patrio jure acquisivit.

Sane Servio homini grammatico præsertim recentiorum commentariis contaminato, de jure non ex recta ejus analogia respondenti quicquam tribui non debuit, & falsum omnino, quod Sigonius putavit, maritum coëmtum uxori suum esse hæredem ex ratione Contii Janique a Costa, quod suos hæredes fœmina non habeat, nec legitimus maritus uxoris hæres est; nulla enim lege, reclamitante juris analogia, hæreditas uxoris, quæ nulla fuit, marito potuit esse delata, quodque Gravinæ visum, inter maritum & uxorem consanguinitatem intercessisse, id plane incongruum & inconveniens, atque *inferius* §.17. notatum,

&

& ubinam illud proditum, quod ex ſuo ingenio comminiſcitur Gutherius, maritum, qui mancipio uxorem accipit, & bona ejus coëmiſſe. Res ita habet: Uxor, quæ in manu erat, ut liberi in poteſtate, nihil proprium habebat, ſed omnia pleno jure ſtatim marito tanquam patri acquirebat, ſive ut Cicero ait, omnia, quæ mulieris erant, viri fiebant, & ut Boëthius addit, *ſtatim propria vi naturæ*; ideoque bonis, jam vivente illa, marito tanquam patri acquiſitis, hæreditatem relinquere non potuit. Et quanquam peculium habere potuerit, ut ex Plauto *Caſin. Act. II. Sc. 2. v. 26.* diſcimus, ex eoque notarunt Noodt *2. Probabil. 9.*, Schulting. *ad Ulp. Fr. II.* illud tamen in libera republica *profectitium* atque *unum & ſimplex* erat, cujus fructus & proprietas pleniſſimo jure patris erat. Peculium caſtrenſe quod militibus, & quaſi caſtrenſe, quod ex jure præcinctis Proconſulibus, Præfectis legionum, præſidibus provinciarum, Palatinis, ſcriniariis, Exceptoribus, Aſſeſſoribus, Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis principum conſtitutionibus habere licuit, mulieribus, utpote quæ ad militiam & hæc munera non admiſſæ, non potuit convenire, & quamvis habuiſſent caſtrenſia & quaſi caſtrenſia, hæc tamen juxta ea, quæ ſupra probavimus, patri non tanquam hæreditas, ſed quaſi peculium

patri deferebantur, & pater eorum retro credebatur dominium habuisse.

Constantini & subsequentium Imperatorum temporibus, quibus liberi in potestate bona materna, materni generis ex matrimonio quæsita, sponsalitiæ donationes, denique omnia, quæ non ex patris substantia, sed alibi extrinsecus liberis in potestate obvenere, sibi propria habuerunt, jam ab usu recesserat, in manum conventio, & si in usu adhuc fuisset, tum demum in adventitiis bonis uxores in manu legitimos hæredes habere cœpissent, eos nimirum,quos principum constitutiones liberis in potestate legitimos hæredes dederunt. Interim postquam remancipatio uxorum quoque videtur admissa, maritus tanquam parens, qui contracta fiducia emancipat, exemplo patroni uxoris a se manumissæ, adeo in ejus manu non amplius exstantis, potuit legitimus esse, arg. *L. 1. si quis a par. manum.* Cæterum quam induxit Bonor. Poss. Unde vir & uxor, ea ad matrimonia, quæ sine conventione in manum contrahebantur,pertinuit, de quibus hoc loco non agitur; sed jam satis de acquisitione mariti per uxores in manu & peculii ratione. Videat nunc illustris Thomasius,quantopere se ostendat ab effectu patria potestas, quæ marito in uxorem, quæ in manum convenerat, competebat: quo enim alio jure atque patrio, quod rotundis verbis

verbis docet Ulp. & confirmant Cicero atque Boëthius, maritus per uxorem in manu omnia sibi statim acquirere potuisset, & qua ratione peculium habuisset, nisi in potestate fuisset, utpote quod patresfamilias & omnes, qui suae potestatis sunt, non habent, sed liberi in potestate constituti. *L. 182. d. V. S.*

§. X.

Quod marito per uxorem in manu acquiritur, inde fit, ut nulla ei cum uxore actio esse, item ei donare non possit.

Ex hoc principio, quod marito omnia per uxorem acquirantur, plura recte inferuntur; sicuti enim inter patres & liberos in potestate nulla lis *L. 4. d. Judiciis*, nec actio furti cum filiofam. esse potest *L. 52. §. 5. d. Furt.* nec donare pater potest filiae, quam in potestate habet *L. 31. §. 2. d. Donat.* ita nec inter maritum & uxorem, quam in manu sive potestate habet, lis nulla nec furti actio nec donatio consistere potest. Censet Hotomannus *Antiq. Rom. L. 2. p. m. 416.* inde, quod omnia quae mulieris sunt, mariti fiant, institutum fuisse, ut si quid mulier e viri bonis surripuisset, in eam soluto matrimonio Rerum amotarum formula, non autem furti actione ageretur. Plane rerum amotarum judicium singulare introductum adversus eam, quae *uxor* fuit, scil. *uxor tantummodo*, non eam, quae non in matrimonium tantum, sed simul in mariti manum convenit, quo-

niam eſt in poteſtate, & ut de filiofam. inquit Ulp. *L.16. d. Furt. natura rei impedimento eſt, quod non magis cum his, quos in poteſtate habemus, quam nobiſcum ipſi agere poſſumus*, videtur tamen quadam ſimilitudine ab uxoribꝰ in manu ſumta in honorem matrimonii inductum, ut cum ea furti agere non posſit, quibusdam exiſtimantibus, ne furtum quidem eam facere, ut Nerva & Casſio, quia ſocietas vitæ quodammodo eam dominam faceret Ulp. *L. 1. d. Act. rer. amot.*; ait, ſocietatem vitæ uxorem *quodammodo*, nimirum non vere, ſed ad ſimilitudinem uxorum in manu, dominam facere: quæ enim viro in manum convenerat, hæc vere verbis, Dionyſ. L. 2. *erat familiæ domina*, quomodo etiam ad exemplum uxorum, quæ in manu erant, uxorum tantummodo, rei divinæ ac humanæ ſociam appellarunt *L. C. d. Crim. expil. hæred.* nuptias ſine in manu conventione divini & humani juris communicationem definiverunt. *L. 1. d. R. N.* cum tamen vere ac proprie uxor, quæ ex ſacris legibus in manum conveniſſet, ex lege Romuli ap. Dionyſ. *d. L. 2.* particeps eſſet ſacrorum & bonorum v. Noodt. *2. Probabil. 9.* Equidem etiam in matrimoniis, quæ ſine conventione in manum contrahebantur, moribus receptum, ne inter virum & uxorem donationes valerent, ſed non ex ea, qua dixi, juris ratione, quaſi in poteſtate mariti ſit, quæ tantum matrifamilias,

lias, non uxori tantum convenit, ſed quod ob alias cauſas utile videretur v. Briſſon. *d. R. N.* nimirum ne mutuato amore invicem ſpoliarentur, donationibus non temperantes ſed profuſa erga ſe facilitate. vid. *L.1. L.3. d. Donat. inter vir. & uxor.*

§. XI.

Uxori, quæ in manu ſcripti hæredis, ſub conditione legatur.

Ex eodem fundamento deductum & illud, quod ab Ulpiano de liberis in poteſtate & de uxore in manu & de ſervis in mancipio traditum. *Fr. XXIV. 23. 24. Ei, qui in poteſtate,* MANV *mancipioque eſt ſcripti hæredis, ſub conditione legari poteſt, ſed requiritur, ut, quo tempore dies legati cedit,* IN POTESTATE HÆREDIS *non ſit: ei, cujus in poteſtate,* MANV, *mancipiove eſt hæres ſcriptus, legari (non) poteſt:* in verbis poſterioribus recte negationem tolli jubent Cujacius & Schult. *d. l.* atque hæc eadem de ſervo docuit Juſtin. § *32. & 33. d. Legat.* Servo hæredis pure inutiliter legari: ratio, quia omnia acquirit domino, fieri autem non poteſt, ut hæredi ipſi a ſe ipſo legetur; ſive idem ſimul hæres & legatarius, debitor & creditor ſit. *L. 18. L. 126. d. Leg. 1.* nec enim poſſunt in ejusdem perſona & emolumentum legati & obligatio juris i. e. hæreditatis concurrere, verbis Juliani in *L. 17. quando dies legator.* Sub conditione vero recte legatur, ut requira-

 mus,

mus, an quo tempore dies legatorum cedit, in potestate hæredis non sit: hoc enim casu fieri potest, ut servus eo tempore, quo dies legati cedit, sive tempore existentis conditionis non amplius sit in potestate hæredis, sed vel manumissus vel alienatus ab eo, atque ita jam vel ipsi sibi acquirat vel novo domino, adeoque hac ratione non est idem, hæres & legatarius, sed sunt distinctæ personæ. Sin autem servus in eadem causa manserit, legatum evanescit. Vid. Janus a Costa, Muretus Marcilius, Rittersh. ad *d. §§. 32. & 33.* & Strauch. *d. Regula Caton. p. m. 57. & 62.*

§. XII.

Uxori in manu non est jus testamenti faciendi.

Venio ad jus testamenti faciendi, quod uxor, quæ in manum convenit, & viro filiæ loco fuit, habere non potuit, quoniam erat in mariti tanquam parentis potestate, quos constat testamenti faciendi jus non habere, adeo, ut quamvis pater eis permittat, nihilo magis tamen jure testari non possint. *L. 6. qui testam. fac.*, Ulp. *Fr. XX. §. 10.* non enim privati sed publici juris testamenti factio est *L. 3. eod.* neque eo secius in diversa discedunt viri docti. Uxori, quæ in manu est, testamenti faciendi jus asserunt Cujac. *VII. O. 11.* Aleander *ad Caji Instit. L. 2. T. 2. §. 1.* Hilliger ad Donellum *Lib. VII. c. 2. lit. f.* Suo arbitratu testari potuisse affirmant Hotomannus *Lex.*

verbo

verbo Uxor. Valentinus Forsterus *d. Success. Lib. VIII. c. 2. n. 13.* Contra Sigonius *d. antiqv. jur. civ. Rom. c. IX,* quæ mariti in manu esset, sine eo testari non potuisse censet. Nihil horum recte, vidit id Jurisprudentiæ Justinianeæ enarrator & interpres egregius Anton. Schulting. *ad Cajum d. §. 1., ad Ulp. Fr. T. XX. §. 11.* & ante eum Marc. Aurelius Galvanus *d. Usufr. c. 9. n. ult.* vidit quoque Everh. Otto *Diss. d. perpetua fœminar. tutela §. 12.*, qui uxori, quæ viro materfamilias esse testamenti factionem negarunt, quo nihil ex recta juris ratione verius certiusque esse potest. Credidit Aleander, quod de patrefamilias L. XII. Tab. statuisset, id ad matremfamilias, h. e. eam, quæ in manum convenerat, trahendum esse; maxime autem Cujacium atque Aleandrum induxerunt Ciceronis in *Top. IV.* verba hæc: SI EA MVLIER TESTAMENTVM FECIT, QVÆ SE CAPITE NVNQVAM DEMINVIT (quæ se capite non deminuit, interpretatur Pitisc. *in Testament.* ibique Sigonius, quæ non emancipata) NON VIDETVR EX EDICTO PRÆTORIS SECVNDVM EIVS TABVLAS POSSESSIO DARI; quare e contrario sequeretur: *sie ea mulier testamentum fecit, quæ se capite deminuit,* videri ex edicto prætoris secundum ejus tabulas possessionem dari; plane id hujus sententiæ consequens esse non potest, repugnantibus nimirum cer-

tisſimis juris regulis, de uxore, quæ capite ſe minuiſſet, h. e. Boëthio interprete, quæ in manum conveniſſet, plane Ciceroni quæſtio nulla eſſe potuit, an ſecundum ejus tabb. Bon. Poſſ. daretur, quod omnino ultimas tabulas facere ſive teſtari non poſſet, ideoque notanter de ea quærit, quæ ſe capite nunquam deminuiſſet, jusque teſtamenti faciendi haberet. Boëthius exponit, de muliere ſine in manu conventione, quæ ſine tutoris auctoritate fecerat teſtamentum; *Mulieres vero*, inquit, *antiquo jure tutela perpetua continebat, recedebant vero a tutoris poteſtate, quæ in manum viri conveniſſent; itaque fiebat iis ſtatus prioris mutatio, & erat capite diminuta, quæ viri conveniſſet in manum. Quædam igitur, quæ ſe nunquam capite diminuiſſet, i. e. quæ in manum viri minime conveniſſet,* SI NON TVTORIS AVCTORITATE *teſtamentum feciſſet, quæritur an ſecundum ejus tabulas ex Edicto prætoris dari debeat poſſeſſio;* quam Boëthii explicationem merito probant Gutherius *d. jur. Pontif. c. VII.*, Schulting. *ad Ulp. d. §. 15.* Vid. Viglius *ad Tit. Inſt. quibus permiſſ.* Sic enim omnia evadunt plana & expedita; in univerſum res ita habet: Uxores, quæ erant in manu, quoniam erant filiæfam., & in poteſtate omnino teſtari non potuerunt, uxores tantum ſuæ poteſtatis & reliquæ ſui juris fœminæ verbis Ulp. *Fr. XX. §. 11.* teſtamenta facere

po-

potuerunt tutore auctore, donec in tutela sint, h. e. donec capite se non minuerunt sive in manum convenerunt; tum enim omnino testari non possunt, Schulting. & Galvanus *cit. locis*; in manum conventio enim minima capitis diminutio est, quæ si pupillo & pupillæ accidat, omnes tutelas tollit §. 4. *Inst. quib. mod. tutel.* Sic Hispala Fecenia liberta traditur ap. Liv. *XXXIX. 9. post patroni mortem, quia* IN NVLLIVS MANV ERAT, *tutore a tribunis & prætore petito, cum testamentum faceret, unum Ebulium instituisse hæredem.* Cæterum Aleand. matrisfam. appellationem captat, qualis est uxor nominis sono, re & effectu juris filiafam.; appellatur tamen mater ejus familiæ a liberis, in qua & ipsa tanquam filia mariti ut parentis potestati subjecta.

§. XIII.

Conventio in manum capitis diminutio.

Ostendimus superiori *capite I. §. 3. n. 3.* matremfam. conventione in manum VENISSE, TRANSIISSE, MIGRASSE IN MARITI FAMILIAM, adeoque sive parentis familiam sive suam, puta si jam suæ potestatis, cum mariti familia commutasse, qua quidem familiæ mutatione non potuit non ei accidisse capitis diminutio; id enim *minimam capitis diminutionem esse constat, cum libertas & civitas retinetur*, FAMILIA TANTVM MVTATVR; definiente Paulo in *L. II. d. cap. min.* ideoque

&

& liberos, qui arrogatum parentem ſequuntur, placet minui caput, cum in aliena ſint poteſtate, & cum FAMILIAM MVTAVERINT. verbis ejusd. Pauli, *L.3. pr. eod.* quomodo & Ulp. *L.6. eod. capitis minutio*, inquit, *privata hominis & familiæ ejus jura amittit.*

De conventione in manum quoque illud nominatim teſtatus Ulp. *Fragm. XI. §. 13.* verba Ulpiani: *minima capitis diminutio eſt, per quam & civitate & libertate ſalva ſtatus duntaxat hominis mutatur; quod fit adoptione &* IN MANVM CONVENTIONE: atque idem confirmat Boëthius loco ſupra cit. *itaque fiebat iis prioris ſtatus permutatio, & erat capite minuta*, QVÆ VIRI CONVENISSET IN MANVM. Res erat certisſimi juris & ratio plane evidens, neque eo ſecius in alia omnia diſcesſit vir illuſtris Thomaſ. *d. Diſſ. p. 22.* ut putaverit (1) Ulpianum & Paulum in enumerandis generibus capitis diminutionis diſſenſiſſe; Paulum enim eo emancipationem retuliſſe, hanc omiſiſſe Ulp. (2) Ulp. reſpexiſſe ad effectum conventionis in manum intuitu tutelæ, nam de tutelis agere; non de modis finiendæ patriæ poteſtatis. (3) Denique Ulp. teſtimonium non præferendum loco Taciti. Sane unum idemque principium collocant Paulus atque Ulp., nimirum familiæ mutationem, ex eoque æſtimant, minimam capitis diminutionem, ſaltem exempli

gratia

gratia una atque altera capitis diminutionis species a Juris auctoribus affertur.

Deinde occasione tutelæ id argumentum de capitis diminutione minima, quod in omnia jura hominis & familiæ jura se diffundit, exsequuntur Ulp. *Fr.* & Justin. *institutis*. Quomodo & ratione edicti Prætoris de capite minutis, capitis diminutionis rationem ejus vim atque species juris auctores evolverunt. Species capitis diminutionis diversæ, effectus iidem, ut capitis diminutione in quavis specie semper pereant, quæ illâ perire solent. arg. pr. *J. de acquis. per arrog.* in tutelis tantummodo se non exserit capitis diminutionis vis, quæ in manum conventione accedit, apparet illud ex ipsa ratione, qua legitimæ tutelæ amittuntur, & si pupillo & pupillæ accidat, omnes omnino tutelæ tolluntur, cur legitimæ hæreditates & per consequentiam, hæreditatum legitimæ tutelæ amittuntur? quoniam desinit agnatus recte dici. *L. 11. d. suis & legit.* qui desinit esse agnatus, familia mutatur *L. 7. pr. d. cap. min.* cur tutelæ in pupilla capitis diminutione, v. g. in manu conventione tolluntur? quia venit in potestatem mariti tanquam parentis, tutela autem & vis ac potestas in capite libero parentis potestati non subjecto, de loco Taciti, quem urget Thomasius, habuimus §. 3.

Interim qui non ita pridem speciali Diss. *d.*

statu

ſtatu liberor. ſui juris fact. per ſeparat. & nupt., id ſibi demonſtrandum ſumſit vir Illuſtris in Fridericiana Antec. clariſſimus Juſtus Henningius Böhmerus, in emancipatione eveniſſe capitis diminutionem non ex ſtatus mutatione, ſed ex mancipationibus liberorum & manumiſſionibus, habet hic jam capitis diminutionis ſpecies, conventionem in manum, cum eam, quæ confarreatione, tum illam, quæ uſu fiebat, nec minus arrogationem, quibus capitis diminutio non ex mancipationibus & manumiſſionibus, utpote quæ in iisdem non intervenerunt, ſed ex ipſa mutatione familiæ accidit.

§. XIV.

Jus ſui hæredis in inteſtatorum ingenuorum legitimis hæreditatibus uxoris, quæ in manu eſt.

Jam dicendi locus de *jure ſui hæredis* & *jure conſanguinitatis*.

Jus ſui v. *L. 10. §. 15. d. agnoſc. & alend.* ſive jus ſui hæredis, vulgo ſuitas Lege XII. Tabb. *tantum in cauſa inteſtati fuit*, atque verbis L. XII. Tabb. SI SVVS NEC ESCIT in jure ſucceſſionis liberorum in parentum, in cujus ſunt poteſtate & gradu proximi hæreditates legitimas conſtitit v. *L. 7. pr. d. Bonis damn.* Exiſtimabantur autem ſui hæredes ex L. XII. *filii* & *filiæ*, qui in poteſtate morientis fuerint. *L. 1. §. 2. d. ſuis & legit.* Cajus *Coll. LL. M. & R. XVI. 2.* Ex interpretatione vero

pru-

prudentum *placuit* atque *æquum* videbatur, nepotes in patris sui locum succedere, Cajus *d. l.*, *L. 1. §. 2. d. suis & legit.* & suorum appellatione in L. XII. Tab. comprehendi *L. 220. pr. d. V. S.* Janus a Costa *ad Rubr.* & *§. 25. d. hæred. quæ ab intest.* Pithoeus & Schulting. *ad Cajum d. l.* quamvis Balduinus *ad L. XII.* illud nepotibus ex filio lege Decemvirali nominatim tributum esse censeat per *L. 3. C. d. leg. hær.* cui responsum a Schulting. *Jpr. Antej. p. 135.* sed ita demum nepotes ad intestatorum successiones inter suos venerunt, si nullus parentum ipsis impedimento in avi potestate remanserit. Paulus *Coll. d. T. XVI. §. 3.* parentes enim liberis suis, cum quibus in potestate fuerunt, ordine successionis obsistunt. Paulus *IV. Sent. 8.* Cajus *d. l.* igitur ut suus hæres quis esset, necesse erat, (1) ut *in potestate morientis esset:* neque enim sui hæredes sunt, qui in potestate esse desierunt verbis Pauli *d. §. 3.* ac suus hæres dici non potest, qui in potestate morientis non fuerit. *L. 12. in fin. qui testam. fac.* (2) ut *gradu proximus* esset, nec parens ipsi ordine successionis obsisteret: neque interest, liberi an NATURALES sint, an NON NATURALES. Paulus *d. l.* non naturales, quales sunt adoptivi, Paulus *d. l.* & uxor, quæ in manu est, Ulp. *Fr. XXIX.* jure enim proprio familiam dicimus omnes personas, quæ sunt sub unius potestate aut *natura* aut *jure* sub-

ſubjectæ. *L. 195. §. 2. d. V. S.* Et ſane uxor, cum conventione in manu veniebat in mariti tanquam patris poteſtatem, aut in ejus, in cujus maritus erat poteſtate, conſequens omnino erat, ut uxor, quæ in manu erat, marito aut ejus parenti, ſi maritus ordine ſucceſſionis non amplius obſiſteret, ipſo jure ſua ab inteſtato hæres fieret. Auctor eſt Gellius *XVIII. 6. in familiam quoque & ſui hæredis locum veniſſe*, quæ totidem verbis repetita Servii *Comm. XI. Æneid.* atque docent juris auctores compluribus in locis. Sic Cajus *d. T. XVI. §. 2. Uxor quoque, quæ in manu ejus eſt, &* SVA HÆRES *eſt, quia* FILIÆ LOCO *eſt, item nurus, quæ in* FILII MANV *eſt, nam & hæc neptis loco eſt. Sed ita demum erit ſua hæres, ſi filius, cujus in manu erit, dum pater moritur, in poteſtate ejus non ſit. Idemque dicimus de ea, quæ id* NEPOTIS MANV *matrimonii cauſa ſit, quia* PRONEPTIS *loco eſt.* Ulp. Fragm. *XXII. 14. Sui enim hæredes ſunt liberi, quos in poteſtate habemus, tam naturales quam adoptivi, item uxor, quæ in manu eſt, & nurus, quæ in manu eſt, filii, quem in poteſtate habemus.* Idem *Fr. XXIX. 1. & ſuus hæres ei ſit, quamvis* NON NATVRALIS, *ſed uxor puta, quæ* IN MANV FVIT, *vel adoptivus filius,* iterumque *Coll. LL. M. & Rom. XVI. §. 4. Inteſtatorum gentilitiorum hæreditates pertinent primum*

ad

ad suos hæredes i. e. liberos, qui in potestate sunt, cæterosque, qui LIBERORVM LOCO *sunt.* Equidem jam in Romuli & Numæ lege ap. Dionys. *Lib. 2.* verbis superius transcriptis uxor, quæ ex sacris legibus convenit in manum, dicitur PARTICEPS ESSE ET SACRORVM ET BONORVM; & Dionys. verbis: FAMILIÆ DOMINA ÆQVE AC IPSE VIR: *quæ in ejus defuncti bona ut filia in patris hæres succedebat, &, si sine liberis & intestatus obiisset, erat omnium bonorum relictorum domina, sin autem liberos habuisset, ex æquo cum liberis particeps erat.* Quæro, quo sensu, qua vi ac potestate? plane eodem sensu, quo de suis hæredibus, qualis uxor, quæ in manu erat, eleganter disseruit Paulus *Coll. LL. M. & R. XVI. §. 3. in suis hæredibus ad mortem parentis continuari dominium*, & in *L. 11. d. liber. & posth. continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hæreditas fuisse, quasi olim hi domini essent, qui etiam* VIVO PATRE QVODAMMODO DOMINI EXISTIMANTVR, *unde etiam filiusfam. appellatus sicut paterfam., sola nota hac adjecta, per quam distinguitur genitor ab eo, qui genitus sit, itaque post mortem patris non hæreditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur*, quomodo & de suis hæredibus Terent. *donec salvus redierit* MEVS PARTICEPS. Cic. *Lib. 3. in Verr. quibuscum*

VIVI *nostra bona* PARTIMUR. V. §. 2. *J. d. hæred. qual.* ibique Janus a Costa & Muretus.

§. XV.

Jus sui hæredis uxoris in civis Rom. liberti hæreditate legitima.

Intestatorum ingenuorum legitimas hæreditates Lex. XII. Tabb. inter suos hæredes uxori quoque, quæ in manu erat, ea, qua dixi ratione, deferebat. Idem quoque ex L. XII. in civis Rom. liberti hæreditate legitima jus erat: quoties enim liberto intestato mortuo suus hæres erat, quamvis non naturalis, sed uxor puta, quæ in manu erat, Lex XII. Tabb. patrono nihil præstabat, vocabatur enim hac lege non aliter patronus, ac si suus hæres liberto non esset. Ex edicto tamen prætoris, si intestato libertus decessisset, & *uxorem forte in manum vel adoptivum filium* reliquisset, æque partis mediæ bonorum possessio contra suos hæredes patrono dabatur. Ulp. *Fr. XXIX.* §. *1.* Justin. §. *1. J. d. Success. libert.* iniquum enim prætori visum erat, ut ratio civilis adoptionis, aut conventionis in manum vinceret naturalem, quæ propter tam grande beneficium, quod in libertos conferebatur, cum ex servitute ad civitatem Rom. producerentur *L. 1. pr. d. Bon. libert.* patronum deficientibus naturalibus liberis ad successionem vocabat; sicuti enim justum judicabat Prætor, naturæ i. e. suis hæredibus naturalibus patronum cedere, ita natura-

turalem æquitatem juris ſubtilitatem adoptionem & conventionem in manum vincere æquum arbitrabatur. Janus a Coſta ad *d.* §. *1. J. d. ſucc. libert.* Cæterum olim Prætores in parte Bonor. poſſ. non ſemper eundem ſervaſſe modum patet ex *d. L. 1. d. bonis libert.* Verrem ſextantem dediſſe filiæ patroni, de quo edicto deceſſoris nihil cautum erat ex Cic. *in Verr. Lib. 1. c. 48.* notat Schulting. *ad Ulp. XXIX.* §. *1.* Interim patroni in bonis libertorum illud jus habebant, quod L. XII. Tabb. introduxerat. *Ulp. d. T. XXIX. 6.*

§. XVI.

Jus ſui hæredis uxoris in cauſa inteſtati.

Docente Jano a Coſta *ad Rubr. Inſt. d. exhær. lib.* In cauſa teſtati nullum ex L. XII. Tabb. erat jus ſui hæredis. Cum ea lege libera cuique de rebus ſuis teſtandi facultas ac latiſſima poteſtas, his verbis: VTI LEGASSIT SVÆ REI, ITA IVS ESTO, quamvis id ſuccedentibus temporibus interpretatione coanguſtatum ſit, vel legum vel auctoritate jura conſtituentium, ut diſerte proditum a Pompon. *L. 120. d. V. S.*

Interpretatione prudentum vero obtinuit, (1) ut ſui hæredes inſtituendi ſint vel exhæredandi, Ulp. *Fr. XXII. 14.* (2) Ex ſuis hæredibus filius neque hæres inſtitutus, neque nominatim exhæredatus non patiatur valere teſtamentum, Ulp. *Fr. d. T.* §. *16.* (3) Reli-

quæ vero personæ liberorum, velut filia, nepos, neptis, si præteritæ sint, valeat testamentum, & scriptis hæredibus accrescant, suis quidem hæredibus in partem virilem, extraneis in partem dimidiam. Ulp. *Fr. XXII. 17.* (4) Agnatione posthumi cujusque sexus omissi testamentum rumpatur, Ulp. *XXII. 18.* (5) ut eos, qui in utero sunt, si nati sui hæredes nobis futuri sunt, possimus hæredes instituere, siquidem post mortem nostram nascuntur ex *jure civili:* si vero viventibus nobis ex *Lege Junia Velleja*, Ulp. §. *19.* (6) Filius, qui in potestate est, si non instituatur hæres, nominatim exhæredari debeat, reliqui sui hæredes utriusque sexus aut nominatim aut inter cæteros. Ulp. §. *20.* (7) Posthumus filius nominatim exhæredandus sit, filia posthuma cæteræque posthumæ fœminæ vel nominatim vel inter cæteros, dummodo inter cæteros exhæredatis quid legetur. Ulp. §. *21.* Nepotes & pronepotes cæterique masculi posthumi præter filium vel nominatim vel inter cæteros cum adjectione legati exhæredandi sint, sed tamen tutius sit, eos nominatim exhæredari, quæ omnia totidem verbis proposuit Ulp. *Fr. XXII.* §. *14, 16, 18, 19, 20, 21,* & ibi exposuit Schultingius, nec habenda sunt Legis XII. Tabb. capita, sed potius sententiæ, quas prudentes pro ea, quam nacti erant interpretandarum LL. XII. Tabb. auctori-

ctoritate inde deduxerunt; notante & probante Hotomanno, *Antiq. Rom. L. 3. p. m. 430.* ab eo igitur inde tempore invaluerunt etiam in caussa testati quædam, & ea, quæ dixi, sui hæredis jura, quæ a Juris Auctoribus uxori, quæ in manu fuit, ibidem applicantur; sic Ulp. *Fr. XX. 14.* postquam docuerat, *suos hæredes instituendos vel exhæredandos esse*, statim addit, sui autem *hæredes sunt liberi, quos in potestate habemus, tam naturales quam adoptivi, item* VXOR, QVÆ IN MANV EST, ET NVRVS, QVÆ IN MANV FILII EST, quem in potestate habemus; ut adeo & ipsa sicut filia, sive neptis institui, aut nominatim aut inter cæteros debuerit exhæredari, alioquin præterita, valeret quidem testamentum, sed hæreditas scriptis, suis in partem virilem, extraneis in partem dimidiam accresceret. Pari modo, quæ in manum convenerat, sua hæres agnascebatur, & agnascendo rumpebat testamentum, quemadmodum diserte testatur idem Ulp. *Fr. XXIII. 3.* *Rumpitur*, inquit, *testamentum, si suus hæres agnascatur, qui neque hæres institutus, neque, ut oportet, exhæredatus sit. Agnascitur suus hæres aut agnascendo, aut adoptando, aut* IN MANVM CONVENIENDO, *aut in locum sui hæredis succedendo.*

§. XVII.

Restat, ut juris consanguini- | Jus consanguinitatis

tatis uxoris, quæ in manu est.

tatis rationem in uxore in manu expediamus. Agnati ſunt, qui patrefam. mortuo ſub unius poteſtate fuerunt. *L. 195. §. 2. d. V. S.* ſive ejusdem familiæ, Ulp. *Fr. XI. 4.* per patrem cognati ex eadem familia, *L. 10. §. 4. d. gradibus*; ideoque emancipati agnati non ſunt, notante Schulting. *Jpr. Antej. p. 595.* familia namque mutati deſinunt eſſe agnati. *L. 7. d. cap. min.*

Conſanguinei erant eodem patre nati, licet diverſis matribus, qui in poteſtate fuerant mortis tempore. Paulus *IV. Sent. 8. §. 18.* Sed hi verbis Legis XII. Tabb. SI SVVS NEC ESCIT AGNATVS PROXIMVS, FAMILIAM HABEAT; Sub agnatis comprehendebantur. Poſtquam autem Voconiana ratione, ex lege Voconia, quæ fœminis hæreditates deferri vetuit, ne qui cenſus eſſet, fœminam hæredem inſtitueret, ut patet ex Cic. *in Verrem Lib. 1. c. 43.* deſumta, effectum, ut fœminæ ad hæreditates legitimas, ultra conſanguineas ſucceſſiones non admitterentur. Paulus *IV. Sent. 8. §. 22. ibique Schulting.* v. Perizonius *Diſſ. d. L. Voconia.* Conſanguinei, qui L. XII. Tabb. habebantur ipſi agnati proximi, tum ab iis diſtincti primum inter agnatos locum acceperunt, & ab eo inde tempore in fratribus & ſororibus, qui mortis tempore in poteſtate erant, ſpeciale conſanguineorum nomen

nomen cœpit usurpari Paulus *IV. Sent. 8. §. 3. & 13.*

Soror igitur post legem Voconiam distinctum, sed tamen primum locum inter agnatos occupans, jure consanguinitatis, ad fratris sororisve legitimam hæreditatem admittebatur. Paulus *IV. Sent. 8. §. 17.* pari ratione ex lege XII. Tabb. tutelæ legitimæ deferebantur agnatis proximis, &, qui Voconiana ratione primum inter agnatos locum acceperant, consanguineis; deferebat autem tantum consanguineis cæterisque agnatis virilis sexus, quoniam tutela virile munus erat. Ulp. *d. l.* atque hæc erant, de quibus agimus, consanguinitatis jura.

Uxor, quæ viro materfam. erat, quoniam marito in manum h. e. potestatem conveniebat, & ei filiæ loco, & quod inde sequitur, liberis sororis loco erat, non potuit non consanguinea haberi, & jure consanguinitatis ad liberorum tanquam fratrum & sororum legitimas hæreditates admitti, ut mirum sit negasse Hilligerum ad Donellum fuisse agnatum, quod quidem significarunt verbis plane rotundis Ulp. *Coll. LL. M. & R. XVI. §. 6.* *Post suos ab intestato legitimi admittuntur primum consanguinei, ii sunt fratres & sorores, qui in ejusdem patris potestate fuerunt, etsi ex diversis matribus orti sunt.* CONSANGVINEOS *autem & adoptio facit & arrogatio, & causæ pro-*

batio & IN MANV CONVENTIO. Et Cajus Coll. LL. M. & R. XVI. 3. *Nostræ vero hæreditates ad fœminas ultra consanguineorum gradum non pertinent; itaque soror fratri sororive, legitima hæres est, amita vero & fratris filia hæres esse non potest;* SORORIS AVTEM LOCO NOBIS EST ETIAM MATER AVT NOVERCA, QVÆ PER IN MANVM CONVENTIONEM APVD PATREM NOSTRVM IVS FILIÆ CONSECVTA EST. Male Gravina *d. O. J. p. m. 396.* quod jam superiori §. 9. notatum, uxorem cum ipso marito consanguineam facit, is enim, quamvis aliquando cum uxore, quæ in manu ei est, sub unius parentis sit potestate, uxor tamen ei nunquam sororis loco, sed filiæ loco est, & ejus parenti neptis loco.

§. XVIII.

Jus sui hæredis & agnationis argumentum patriæ potestatis marito in uxorem, quæ in manu est, competentis.

Probant hæc sui hæredis agnationis & consanguinitatis jura, quæ in uxoribus in manu existentibus agnoscit Thomasius, patriam potestatem, in quam uxores in manum conveniendo transierunt: suus enim hæres, item agnatus & consanguineus ex natura sua, quam ex legislatione Romana habet, nec dici nec fingi potest, nisi is, qui in parentis sit potestate mortis tempore.

Scio

Scio etiam in causa intestati inter suos vocari, qui in potestate non sunt, adeoque videri ex jure sui hæredis, patriam potestatem non semper evinci posse. Sic Prætoris edicto inter suos hæredes connumerantur, qui propter capitis diminutionem sui hæredes esse desierunt, & propter æquitatem eorum capitis diminutionem rescindit Prætor *L. 6. §. 1. d. Bon. Poss.* ac colore suitatis rescissa emancipatione illis Bon. Poss. tribuit. Janus a Costa ad *§. 3. J. d. Bon. Poss.* Eodem modo Constitutiones aliquas inter suos hæredes vocant, qui alienam plane familiam sequuntur.

Constitutionibus enim divorum Principum Valent. Theod. & Arcadii in *L. 4. C. Theod. d. legit. hæred.* NEPOTES EX FILIA CUIUSCUNQUE SEXUS AUT NUMERI, ejus portionis, quam defuncti filia superstes patri inter fratres suos fuisset habitura, duas partes consequuntur, tertia pars defunctæ filiæ fratribus, & sororibus sive avunculis & materteris nepotum ex filia accrescunt. v. Jac. Gothof. *in Parat. & ad d. L. 4. C. Th. d. leg. hæred.* Si vero cum defuncti avi materni agnatis, qui ex L. XII. ex filia nepotes excludebant, concurrebant, ex Constitutione Valent. Jun. in *d. L. 4.* in quandam Falcidiam h. e. quartam partem agnati, in dodrantem ex filia nepotes succedebant. Ex constitutione vero Justiniani in *L. 7. C. d. Suis & Legit.*, & *§. 15. d.*

 hæred.

hæred. quæ ab int. nepotes ex filia, pronepotes ex nepte & sic deinceps omnino agnatos defuncti excludunt, ne hi, qui ex transversa linea veniunt, potiores iis habeantur, qui ex recta jure descendunt. vid. *Nov. 18. c. 4.* Rittersh. *add.* §. 15. *p. 344.* Balduinus *ad LL. XII. Tabb. p. m. 79.* Schulting. *Jpr. Antej. p. 666.* Sed sane ex jure civili eo, quod in libera rep. fuit, sui hæredes non sunt, nec dici possunt, nisi qui sunt in patris potestate mortis tempore, gradu proximi, si qui in causa intestati ex prætoris edicto capite diminuti ad Bon. Poss. invitantur, quique Constitutionibus Principum, & quidem nepotes ex filia ex constitutione Valent. Jun., pronepotes ex nepte & sic deinceps ex Constit. Justiniani ea, quâ dixi, & limitata & circumscripta ratione ad legitimas hæreditates vocantur, non sunt proprie ex jure civili sui hæredes, quales a juris auctoribus uxores habentur, sed dicuntur tantum *inter suos*, eo, quo dixi, modo, *connumerari, inter suos vocari*, obtinuerunt illi, aliquid ex jure sui hæredis sive jus sui hæredis in causa successionis ab intestato aliqua sui parte, & diversa plane ratione, non jus sui hæredis omnibus suis in causa testati intestatique partibus absolutum, quibus ex jure civ. illud patriæ potestati innixum, continebatur.

§. XIX.

De optione tu- Lege XII. Tabb. permissum erat

erat parentibus, liberis ſuis ſive fœminini ſive maſculini ſexus, ſi modo in poteſtate ſint, TVTORES teſtamento dare *L.1. pr. d. Teſtam. Tut.* & mandabatur hæc tutela jure patriæ poteſtatis *L. 40. d. Admin. Tut.* Eadem ratione moribus introductum fuit, ut quis liberis impuberibus teſtamentum facere poſſet, donec maſculi ad quatuordecim annos perveniant, fœminæ ad duodecim, ſi ſint in poteſtate. *L. 2. pr. d. Pup. Subſt.* Uxori itaque, quæ in manu ſive poteſtate fuit, an eodem patriæ poteſtatis jure teſtamento tutela mandari & ſubſtitui pupillariter potuerit, videamus? Subſtitui ſane potuiſſet, ſi ultra annos pubertatis id facere licuiſſet, poſteaquam vero uxores non niſi puberes & XII. annos natæ legitimas nuptias contrahunt, ætas impedimento eſt, quominus ipſis ultra pubertatis annos ſubſtitui pupillariter poſſit. Eadem ratio in tutela pupilli, quæ pubertate finitur, ideoque jure patriæ poteſtatis ultra pubertatem mandari non poteſt, neque eo ſecius tamen in fœminarum tutela, quæ perpetua erat, videtur prudentum interpretatione admiſſum, ut uxori, quæ viro in manum conveniſſet, jure patriæ poteſtatis *tutoris optio* dari teſtamento potuerit, ut ipſa ſibi tutorem eligeret, quem velit; ducto argumento a L. XII. Tabb., quæ de tutela liberam patrifam. legandi poteſtatem

toris a marito uxori in manu teſtamento data.

tem dabat. Plane Fecinæ Hiſpalæ ap. *Liv. 39. 19.* id SCto tanquam ſingulare beneficium conceſſum, *ut* TVTORIS OPTIO *ei eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet.* Atque de his tutoribus, quorum optio uxoribus in manu, teſtamento viri, data, viri docti putant ſenſiſſe Ciceronem *pro Muræn. c. 12.* cum ſcriberet, majores inveniſſe genera tutorum, quæ poteſtate mulierum continerentur. V. Cujacius *VII. Obſ. 11.*, Hotom. *III. Obſ. 16.* Schulting. *Jpr. Antej. p. 600.* Everh. Otto Diſſ. *d. perpet. fœm. tut. §. 16.*

§. XX.

De jure legitimarum hæreditatum & tutelarum manumiſſori ſive marito ſive parenti fiduciario in uxore remancipata competente.

Neque vero ſilentio prætermittendum eſt, quod Ulp. *Fragm. T. XI. §. 5.* ait: *qui liberum caput mancipatum ſibi vel a parente vel* A COEMTORE *manumiſit, per ſimilitudinem patroni tutor efficitur; qui fiduciarius tutor appellatur.* Cujac. & Dionyſ. Gothofredus ibidem exponunt, qui manumiſit a parente mancipatum ſibi, patrem fiduciarium eſſe, qui a coëmtore patrem eſſe naturalem, Barnab. Briſſon. *d. V. S. v. Coëmtio:* coëmtorem ap. Ulp. *d. l.* intelligit patrem fiduciarium; *Tract. de Ritu Nupt.* vero cenſuit, videndum eſſe, ne ad maritum coëmtoris nomen potius quam ad alium quempiam referendum ſit,

ſit, cum mancipari uxorem a viro cujus in manu ſit, potuiſſe, argumento ſit, quod Sex. Pomponius ex Aulo Gellio ſcribit, remancipatam eam dictam, quæ mancipata ab eo erat, cui in manum convenit, at talem tutelam muliebrem auctoritate nulla munitam eſſe *ad Ulp. d. §. 5.* notat Schulting., Marcilius *ad pr. J. d. Fiduc. tut.* putat, Cujacium *d. l.* parentem patrem fiduciarium, & coëmtorem patrem naturalem intellexiſſe, & addit, aut Cajum falli *in Inſtit. ſuis T. VI.* item alios ea de re narrantes falli, aut patrem fiduciarium coëmtorem eſſe; nam patrem fiduciarium a patre naturali unum aut duos nummos accepiſſe, quaſi in ſimilitudinem pretii.

Plane qui liberum caput mancipatum ſibi manumittebat, ad ſimilitudinem patroni ſuccedebat, Cajus *I. Inſt. VI.* & legitimus tutor efficiebatur, Ulp. *d. §. 5.* & appellabatur is omnis fiduciarius tutor, qui ex manumiſſione liberi capitis, ad ſimilitudinem patroni, legimus tutor effectus, ut diſerte hoc loco Ulpianus docuit, adeoque & pater fiduciarius, qui liberum caput ſibi a parente ſine fiducia venditum manumiſerat, ut recte probavit Cujacius *Paratit. Tit. C. d. legit. tutel.* non tantum pater, qui contracta fiducia emanciparet, quod voluit Schulting. *ad Ulp. d. §. 5.* In emancipationibus liberorum liberum caput mancipabatur a patre naturali patri fiduciario filius

lius trina, filia una mancipatione mancipabatur seu remancipabatur a patre fiduciario patri naturali, cum is contracta fiducia mancipasset, filius post tertiam, filia post primam atque unam emancipationem, qui liberum caput sic sibi mancipatum manumittebat, sive pater naturalis, sive pater fiduciarius manumissor esset, ad similitudinem patroni, legitimus fit hæres, & per consequentias, hæreditatum legitimus tutor. Cujacius in loco Ulp. parentem patrem naturalem, coëmtorem patrem fiduciarium intelligit, sed eum, qui manumisit, a coëmtore sibi mancipatum caput liberum patrem naturalem, & sic Marcilio cum Cujacio convenit, quem non recte Marcilius cepit. Quamvis autem, quod Cujacio, Gothofredo, Marcilio visum, coëmtoris nomine Ulpianus ipsum patrem fiduciarium videatur significasse; nihil tamen impedit, quo minus has liberorum mancipationes & manumissiones, & quæ ex hac sequuntur, legitima jura hæreditatum & tutelarum justa interpretatione marito, qui in uxorem in manu habuit, eo, quo mox dicetur, modo, applicemus.

§. XXI.

Continuatio argumenti, it. Remancipationis ra-

Quæ non in matrimonium tantum, sed in manum quoque ac plenam mariti potestatem transierat, & viro filiæ loco, liberis

beris ſororis loco erat, ea ſuccedentibus temporibus videtur de manu ac mariti poteſtate iterum potuiſſe dimitti, quamvis enim illa, quæ ex ſacris legibus viro in manum conveniſſet, primis temporibus, ut ex Dionyſio conſtat, inſeparabilis conjugii vinculo cum marito conjungeretur, nihilque eſſet, quod has nuptias diſſolvere poſſet; videtur tamen non ſolum in his poſteriori ætate, diffarreatio, de qua inferius §. 24. & 26. agetur, ſed etiam in omni conventione in manum EMANCIPATIO admiſſa, qua uxor tanquam filia iterum e poteſtate viri ejusque manu mitteretur. Etenim ap. Feſtum *v. remancipata : Gallus Ælius* REMANCIPATAM *eam eſſe ait, quæ mancipata ſit ab eo, cui in manum convenit, quæ mancipata i. e. ut exponunt* viri docti, *quæ emancipata* manu dimiſſa ab eo, cui in manum convenerat; dixerunt enim aliquando veteres auctores, liberos *mancipatos* pro *emancipatis*, Ulp. Fragm. *XXII. §. 22.* ibique Cujacius & Schulting. ſic Plautus *Curc. IV. 2. 10.*

tio, vis & effectus.

> Alienos *mancipatis* i. e. *emancipatis*, alienos manumittitis.

Et admiſſa divortiorum licentia, admiſſa diffarreatione, quid tandem prohibebat, quo minus uxor ſicut filia, cujus loco erat, & jure cenſebatur, una mancipatione de mariti tanquam

quam patris poteſtate poſſet exire. Incidit jam unum atque alterum, quæ mereantur proponi, atque a viris doctis ulterius inveſtigari.

Vulgo traditur, quæ uſu contraherentur matrimonia, uſurpatione; quæ confarreatione, diffarreatione; quæ coëmtione, remancipatione diſſoluta iterum fuiſſe. Ræyard. ad *L. XII. c. 21.* Sed puto non ſatis convenienter. Uſurpatione uxor non eſſe deſinebat: trinoctium, quo abeſſe anno ex L. XII. debuit, impediebat, quo minus in manu conventio perficeretur, uxor tantum & ſine in manu conventione illa manſit. Diffarreatione diſſoluta fuiſſe matrimonia ex Feſto & Gloſſis Iſidori fit probabile, ſed utrum diffarreatio ſola habuerit effectum non matrimonii tantum diſſolvendi, ſed & tollendæ patriæ poteſtatis, an cum emancipatione fuerit conjuncta, non habeo quod dicam, cum ejus rei rationem non exacte ſcriptam reliquerint Romanarum rerum ſcriptores, qui ad noſtram ætatem pervenerunt. Remancipatione ſive emancipatione matrisfam. conventionem in manum tum eam, quæ conventione, tum eam, quæ uſu fieret (fortasſis, ſi quid ſuſpicor, eam quoque, quæ confarreatione facta, accedente diffarreatione ſacrificii genere) diſſolutum fuiſſe dubitari non poteſt. Sed nihil omnino cauſæ eſt, cur uxor emancipata

ſine

ſine in manum conventione uxor tantum manere haud potuerit, ſi non divortium ſimul maritus ab illa feciſſet; ut adeo ſola remancipatio in matrefamilias, quæ conveniſſet & in matrimonium, & in mariti manum, matrimonium ea de cauſa, quod de mariti manu dimiſſa eſſet, non videatur diſſolviſſe. Interim in emancipatione uxorum, quoad jura legitima hæreditatum & tutelarum conſequenda eadem ex recta juris analogia dicenda, quæ ex doctrina Caji & Ulp. in emancipationibus filiarum obtinuerunt. Nimirum ut ſive maritus parens uxorem, quæ in manu eſſet, ſibi a patre fiduciario poſt primam & unam mancipationem ob contractam fiduciam remancipatam, ſive etiam pater fiduciarius uxorem ſibi a marito ſine fiducia mancipatam manumiſiſſet, exemplo patroni legitimus hæres atque tutor efficeretur. Ut igitur hactenus a v. c. A. Schultingio diſcedamus, cum talem tutelam muliebrem nulla auctoritate munitam contra Briſſonium affirmavit *ad Ulp. Fr. XI. §. 5.* Satis enim auctoritatis eſt apud Cajum *I. Inſt. VI. in fin.* quam uxori tanquam filiæ emancipatæ applicare plane congruum eſt & conveniens. Cæterum ſi hæc Ulpiani *d.* §. 5. ad maritum, cujus in manu remancipata ſeu emancipata uxor fuerat, producuntur, ut in liberorum ſic uxorum quoque mancipationibus maritus parens & coëmtor

fiduciarius pater commode intelligitur.

§. XXII.

De Jure sacrorum & sepulchrorum.

Necesse est, ut de IVRE SACRORVM ET SEPVLCHRORVM quoque aliqua notemus. Putat Hotomannus *Antiqv. Rom. L. 2.* eam uxorem, quæ viro in manum convenerat, iis sacris, quæ genti suæ propria erant, renuntiasse, atque in ea transiisse, quæ viri sui gentilitia & privata erant, idemque de sepulchris accipiendum esse; quomodo & Noodt. *II. Probabil. 9.* censuit, ut cum filio filiaque fam. pater, sic maritum cum uxore, quæ in ipsius manu mancipioque esset, jus cum divinum tum humanum communicare i. e. hæreditatem & sacra familiaria; & omnino uxorem, quæ ex sacris legibus viro in manum convenerat, fuisset cum illo sacrorum & bonorum participem, probavit Lex Romuli & Numæ ap. Dionys. *L. 2.* & erat conventio in manum genus transitus in alienam familiam, sicut adoptio & arrogatio; de adoptione vero diserte traditum ap. Val. Maximum *VII. 7. n. 2.* M. Annejum a Sulfenate avunculo suo adoptatum in Sulfenatis familiam & sacra transiisse. Neque minus Cic. cum *Orat. pro domo c. 13. & 14.* contra P. Clodii adoptionem a M. Fontejo factam disputaret, affirmavit, adoptione gentis sacra interire, sacra paterna amitti,

amitti, & in adoptiva veniri, ut adeo eadem in quovis genere transitus in alienam familiam evenisse, dicendum videatur. Et quanquam in Confarreatione Flaminicæ Dialis ex SCto, quod sequebatur orationem Tiberii ap. Tac. *IV. Annal.* conventioni in manum omnis vis patrii juris ademta, & Flaminicæ licuit, omnia promiscuo jure fœminarum agere; id tamen ex jure conventionis in manum in illa remansit, ut sacrorum causa in potestate ageret, non obscuro indicio communicationem sacrorum non ad promiscua jura fœminarum pertinuisse; distinguuntur enim hæc a se invicem oratione Tiberii in potestate sacrorum causa agere, & promiscuo fœminarum jure agere. Nihilominus audimus, uxorem quoque tantum, ut supra §. *9.* notatum, rei divinæ ac humanæ sociam appellari, *L. 4. C. d. Crim. expil. hæred.*, & nuptias sine in manu conventione divini & humani juris communicationem definiri. *L. 1. d. Ritu Nupt;* quod quousque in his nuptiis verum sit, expedit vir summus Gerard. Noodt. *d. c. 9.* cujus verba apposui: *quod matrimonii definitioni convenit, quamquam, ne te fallat nomen communionis, & hoc monendus es, intelligi in his communionem non veram ac propriam, sed quæ* BENEVOLENTIA *&* VSV *finitur, adeoque neque proprietatem transfert, neque cum* INVITIS EXERCETVR. Interim quoniam

 id

id argumentum de ſacris gentilitiis & privatis pluribus in Tractatu *de Familia ap. Romanos* exſecuti ſumus, hic plura non addimus.

§. XXIII.

De nomine. Diſputant de nomine viri docti, num GENTILITIIS maritorum NOMINIBVS uxores appellari moris fuerit, Reineſius putat *Syntagm. inſcript. p. 42. & 202*, Romanorum uxores, ubi in maritorum familias tranſierint, cenſas maritorum gentilitiis nominibus, iterumque *Syntagm. p. 51.* morem Romanis fuiſſe, tam innuptas filias, quam factas uxores modo maritorum, modo parentum cognominibus nuncupandi. Contra vir illuſtris Ezechiel Spanheimius *Diſſ. d. præſtantia & Uſu Numiſm. p. 40. & 43.* exiſtimavit, uxores efferri conſveviſſe ſuæ gentis nomine, non maritorum ſive nomine ſive cognomine.

Sane in adoptione moris fuiſſe, ut adoptati omnia adoptantium nomina aſſumerent. Dio *Lib. XL. & XLI.* atque Appianus *de Bello Civili L. 3. p. 532.* prodiderunt. Sed non unum ea in re morem ab adoptatis obſervari ſolitum ex nummis familiarum Romanarum oſtendit Spanheimius, *d. Diſſ. X. cap. VI. d. adoptat. ap. hom. nomin. p. 77. ſeqq.*

(1) Alii exſtant, in Nummis Fulvianæ Collectionis Gotzianis, in quibus vulgari & communius recepto ritu, præmiſſum *gentis,* in

in quam adoptatur, PRÆNOMEN, NOMEN, COGNOMEN, additumque gentis, ex qua adoptatur gentile nomen, & formatum ex eo cognomen; ut Æmiliani.

(2) Factum quoque ſubinde, ex nummo Gotziano Merilli, & Fulviano obſervat Spanheimius, ut ADOPTATÆ GENTIS PRÆNOMINE ET COGNOMINE non gentilitio ſignarentur, ſed gentile nomen ex ea gente, ex qua adoptati, retinerent, v. g. Cn. Lentulus Clodianus, C. Claudia gente in Corneliam Lentulorum adoptatus.

(3) Dari quoque veteres atque genuinos nummos, notat Spanheimius, in quibus gentili tam adoptantis quam adoptati nomine omiſſo, COGNOMINA VTRIVSQVE conſignarentur, quippe quod eadem jam pridem in nomen illuſtrium familiarum eſſent.

(4) Aliquando adoptati NATVRALE COGNOMEN prænominis uſum occupaſſe exemplo Pauli Fabii Maximi, e Paulis Æmiliis in Fabiam gentem transducti, ex nummo oſtendit idem Spanheimius. Plura addere hujus loci non eſt, & dedita opera id argumentum exſecuti Spanheimius, Sigonius, Panvinius & Perizonius Diſſ. *d. Conſtit. divina ſuper ducenda defuncti fratris uxore p. 89. ſeqq.* ubi in univerſum de mutata per adoptionem nominis ratione ſic ſtatuit Perizonius. In libera republica, in actis publicis ex adoptio-

nis lege & more publico, quem in his sequi oporteret, filium adoptivum non patris naturalis, sed adoptivi publice habitum, & ex patris adoptivi publice habitum, & ex patris adoptivi prænomine & nomine appellatum, abjectis prioribus a patre naturali acceptis nominibus, præter unum, quod aliquando servaretur, duntaxat, ut constaret, ex qua quis esset adoptatus familia, quamvis in familiari sermone, & a priscis auctoribus sæpius adhuc naturalis patris filii & illorum prioris nominibus appellarent; sub Imperatoribus tamen a pristina appellandorum hominum ratione & more recessum esse. Quomodo & Spanheimius *d. l.* inductam, sub Cæsaribus, & labente Imperio, nominum confusionem & varietatem notat, ut qui aliter hac parte non distinguat, cœcus incedat.

Hæc de nominum ratione in adoptatis ideo notanda duximus, ut appareat sententiam Reinesii in uxoribus, quæ in manum conventione in familiam mariti migrarant, filiæque loco habebantur, ratione probabili ab adoptione sumta sustineri. Est enim conventio in manum sicut adoptio & arrogatio genus transitus in alienam familiam, modo quidem diverso, sed effectu eodem; videant nunc viri docti & rerum Romanarum periti, an sententia Reinesii juris ratione suffulta, & lapidum nummorumque fide possit confirmari. Quæ de Flaminica Diali supersunt hodie

die inſcriptiones, quas excutere non vacat; & ſi qui ap. auctores veteres memorantur Flaminum parentes; fortaſſe exiſtimandi copiam de nominis ratione poſſunt ſuppeditare; ex confarreatis enim parentibus nati Flamines legebantur, & Flaminica Dialis Flamini Diali confarreatione in manum debuit convenire, ſed ante Tiberii legem tantum cum pleniſſimo conventionis in manum patriæque poteſtatis effectu. Poſt Tiberii legem enim non in mariti familia amplius fuit, *niſi ſacrorum cauſa*, ſed omnia promiſcuo fœminarum jure egit; adeoque neceſſe eſt, in Flaminica Diali hæc tempora diſtinguere.

Cæterum de uxoribus tantum ſine in manu conventione veriſſima ſententia Spanheimii, illas ſuæ gentis, non maritorum ſive nomine ſive cognomine appellari. †

† Memoratur ap. Sveton. *in Cæſ. c. 1.* Coſutia ex familia Coſutiorum equeſtri Cæſaris Flaminis Dialis deſtinati uxor, quæ gentis ſuæ nomine appellata, non gentili Julii Cæſaris nomine; ſed nec novum nec inſolens in adoptione erat, ut adoptatus familiari ſermone & a ſcriptoribus, gentis, cujus olim fuerat, nomine appellaretur. Accedit, quod oſtenderunt Caſaubonus & Grævius, Cæſarem nondum fuiſſe Flaminem Dialem creatum & inauguratum, ſed deſtinatum ſaltem Flaminem, non in locum Cottæ ſed Merulæ. In monumento, quod Romæ A. V.

712. Augusti ætate positum exstabat & delineatum, in Itinerarium transtulit Abrah. Ortelius, & ex illo exhibuit Oct. Ferrar. *d, Re Vest. L. 1. c. 1.* nominatur R. FVRFANIVS. C. F. NIGRINVS ET FVRFANIA FLORA CONIVX.

§. XXIV.

De jure dotium.

Restat, ut *jura dotium*, reique uxoriæ actionem in uxore, quæ in manum convenit, ad rationes revocemus. Bene habet, quod monuit *ad Ulp. Fragm. T. IX.* Schultingius, uxores tantummodo habere potuisse dotem, & bona alia paraphernalia & receptitia, non æque uxores, quæ in manu erant, quod per has omnia marito acquirerentur. *v. supr. §. 8.* nec quicquam facit, quod a Cicerone Boëthioque traditum, fieri omnia mariti dotis nomine; doti enim dicere solebant uxores in manum convenientes omnia bona sua & doti dicta, marito dotis nomine plenissimo jure acquirebantur; quomodo & Valeria, quæ marito in manum convenerat, licet non omnibus tutoribus auctoribus, doti omnem suam pecuniam dixisse memoratur.

Notandus hoc loco Didaci Altiserræ egregii alias utriusque juris Consulti error *d. Fict. c. II.* qui cum ap. Cic. de uxore in manu legisset, omnia, quæ uxoris fuerunt, mariti fieri dotis nomine, putavit exstare conventionis in manum vestigia in *L. 71. ff. d. Jur. Dot.*, & *L. 1. §. 1. ff. pro dot.*, quibus agitur de muliere,

quæ

quæ bona sua omnia, res suas universas in dotem dedit. Sane ea, quæ uxor tantum sine in manu conventione habebatur, omnia sua bona in dotem dare, nulla lege prohibetur *L. 4. C. d. Jur. Dot. L. 13. §. 10. d. H. P.* v. Brisson. *d. Formul. L. VI. p. 544.* Cornel. van Eck *ad ff. n. 10. d. Jur. Dot.* Huber. *Præl. ff. n. 6. eod.*, & nihili est inde deductum conventionis in manum argumentum; si uxor, quæ in manu erat, res suas doti dixerat, dotis nomine plenissime acquirebantur marito, si uxor tantum, jure dotium censebantur; ita ut dominium quidem civile marito acquireretur. *L. 1. §. 1. L. 13. §. 2. d. Fund. Dot. L. 7. §. 3. L. 23. d. Jur. Dot.*, sed revocabile quidem & temporarium usque ad finem matrimonii, si inæstimata, perpetuum, si æstimata dos fuerit, cum hoc casu æstimationem reddere sufficiat, *L. 10. pr. & §. 1, 4, 5. L. 17. §. 2. ff. d. Jur. Dot.*

Notavit ad *L. 72. d. Jur. Dot.* Accursius, mulierem semper bona sua omnia in dotem dedisse videri, cum viro in matrimonium convenit, idque ex Topicis Aristotelis non lege. Suspicor *ad Top. Cic.* & ad conventionem in manum respexisse; vid. Tabor. *in notis ad Colleg. Arg.* ad §. d. Jur. Dot. locum Cic. in Topic. cum conventionis in manum vim non cepisset, non sine errore reprehendit Forcatulus *Necyomantia. Dialog. 39. n. 4.* atque in eo totus est, bona uxoris non in du-

 bio

bio censeri dotalia, sed paraphernalia, quod quidem in uxore tantum verissimum; in uxore quæ in manum convenit, quæstio plane incongrua, utpote quæ marito plenissimo jure acquirit omnia, neque quærit Cic., an uxor omnia bona sua in dotem dedisse intelligatur, sed effectum conventionis in manum in acquisitione dotis demonstrat, ut quæ doti dicta sint, ea dotis nomine marito fiant omnia de solenni dictione dotis ejus a datione & promissione dotis differentia; plura præclara ac scitu digna notavit ad Caj. Inst. II. 9. §. 3. p. 153. Ant. Schulting.

§. XXV.

De rei uxoriæ actione.

Pro restitutione *rei uxoriæ* soluto matrimonio olim ante Justinianum aut *actio rei uxoriæ*, aut si stipulatio interposita erat, *actio ex stipulatu* competebat; Boëthius *Top. Lib. VI.* v. Strauch. *diss. d. Alterutro* §. 8. ita in uxore, quæ sine in manum conventione habebatur, jus fuit: cum autem, non in matrimonium tantum, sed & in manum quoque mariti uxor convenisset; quomodo sive rei uxoriæ sive ex stipulatu actioni locus esse potuerit, quæstionis est. Equidem Romulus, auctore Dionys. *L. 2. Ant. Rom. p. m. 51.* neque viro actionem concessit contra uxorem, quæ stuprum fuisset passa, aut quæ injuste domum reliquisset, neque uxori, quæ maritum rei male administratæ aut injusti

ſti repudii accuſaſſet, neque de dote reſtituenda aut auferenda ullas prorſus leges tuliſſet, neque ullam aliam iſtiusmodi rem determinaſſet, unam tantum ad omnia accommodatam legem conſtituit, nimirum, ut quæ ex ſacris legibus marito in manum conveniſſet, cum illo particeps eſſet bonorum & ſacrorum, qua quidem ratione, cum non ſolum inſeparabili conjugii vinculo vir & uxor conjungerentur, ſed & uxor mortuo marito eidem ſua hæres eſſet, nulla de dote inſtituenda ſive in caſum divortii ſive mortis oriri quæſtio potuit. Quingentis vero annis poſt Romam conditam, quemadmodum ex Gellio *IV*, *3.* diſcimus, omnino nullas rei uxoriæ neque actiones neque cautiones in urbe Rom. aut Latio fuiſſe, memoriæ traditum eſt; quia profecto nihil deſiderabantur; nullis etiam tunc matrimoniis divertentibus; & ap. Gellium Serv. quoque Sulpicius in libro, quem compoſuit de dotibus; tum primum cautiones rei uxoriæ neceſſarias eſſe viſas ſcripſit, cum Sp. Carvilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis divortium cum uxore fecit. Hæc quidem res ſuſpicandi cauſas præbet, admiſſa tandem in confarreatione & conventione in manum divortiorum licentia, qua & uxor in manu jure ſui hæredis defraudaretur, ſtipulationibus interpoſitis caveri quoque cœpiſſe in conventione in manum de dote reſti-

restituenda in casum divortii; cujusmodi cautiones vide ap. Brisson. *de Formulis p.547.*; quali ac simili quodam vinculo cautionis etiam in arrogatione impuberis principali auctoritate, legitimis hæredibus prospectum erat. *L.17. L.18. L.19. L.20. d. Adopt. L.20. d. pupill. substit.* Quoniam enim in conventione in manum omnia marito ex patrio jure acquirerentur, ex stricto jure nulla uxori ad dotem, utpote marito acquisitam in casu divortii restituendam superesse actio potuit, nisi eis, quas dixi, cautionibus ei esset prospectum.

CAP. IV.
DE CONVENTIONE IN MANVM CONFARREATIONE.

§. I.

Auctores, qui confarreationis meminerunt.

CONventionis in manum, quæ primitus ex sacris legibus fiebat, & a communicatione farris, confarreatio appellabatur, originem, vim, ac nominis rationem, optime copioseque exposuit Dionys. Halic. *Lib. 7. p. m. 51. & 52.* cujus omnia huc videbantur transcribenda: *At Romulus*, inquit, *cum neque viro actionem concessisset contra uxorem, quæ stuprum*

ſtuprum fuiſſet paſſa, aut quæ injuſte domum reliquiſſet, neque uxori, quæ maritum rei malæ adminiſtratæ, aut injuſti repudii accuſaſſet, neque de dote reſtituenda, aut afferenda ullas prorſus leges tuliſſet, neque ullam aliam iſtiusmodi rem determinaſſet, ſed unam tantum ad omnia accommodatam legem (ut ipſa res docuit) conſtituiſſet, effecit, ut mulieres valde modeſtæ & piæ eſſent. Lex autem hæc erat: MVLIEREM NVPTAM, QVÆ EX SACRATIS LEGIBVS IN MANVM MARITI CONVENISSET, CVM EO OMNIVM ET BONORVM ET SACRORVM PARTICIPEM ESSE. *Vocabant autem antiqui* SACRAS NVPTIAS, *Romana quadam appellatione rem exprimentes,* CONFARREATIONEM A FARRIS COMMVNICATIONE, *quod nos* ζέαν *vocamus, & quemadmodum nos Græci hordeum exiſtimantes omnium frugum antiquiſſimum, in ſacris ab hordeo initium ducimus, vocantes id* ὀυλάς: *ita Romani exiſtimantes far eſſe omnium frugum præſtantiſſimum & antiquiſſimum, ab hoc in omni ſacrificio, in quo victima crematur igne, initium faciunt. Ea enim conſuetudo adhuc manet, nec ad priſcam illam frugalitatem quidquam additum eſt. Quod igitur* MVLIERES CVM VIRIS SACRATISSIMI ET PRIMI CIBI FVERVNT PARTICIPES, *& valde fortuna bona convenirent, ea res appellata fuit* FARRIS COMMVNICATIO, *quæ virum*

rum & uxorem necessario conjugii inseparabilis vinculo conjungebat, ac nihil erat, quod has nuptias posset dissolvere. Hæc lex coëgit mulieres nuptas, utpote quæ nullum aliud refugium haberent, ad unius sui mariti mores, vitam suam conformare, & ipsos maritos ut rem necessariam, a quo nullo modo divelli possent, uxorem retinere. Uxor enim si pudica fuisset, & marito in omnibus rebus, morem gessisset, erat familiæ domina æque atque ipse vir, & in ejus defuncti bona, ut filia in patris heres succedebat, & si sine liberis, & intestatus obiisset, erat omnium bonorum relictorum domina, sin autem liberos habuisset, ex æquo cum liberis bonorum particeps erat; Si qua autem in re deliquisset, ipsum, qui injuriam passus erat, judicem habebat, qui pœnæ magnitudinis erat arbiter. Hæc de Romuli instituto Dionysius: cui & illud, quod ad sacras has nuptias pertinebat, addidit Numa: SI PATER PERMISERIT FILIO VXOREM DVCERE, QVÆ EX LEGIBVS PARTICEPS SIT ET SACRORVM ET BONORVM, PATRI POSTHAC NVLLVM IVS ESTO VENDENDI FILIVM, ut ex Numæ Pompilii legibus scriptum refert idem Dionys. *L. 2. p. m. 53.* Aliqua de religiosissimo confarreationis vinculo habet Plinius *XVIII. 3.* cujus hæc sunt verba: *quin & in sacris nihil religiosius* CONFARREATIONIS *vinculo erat, novæ nuptæ* FARREVM *præferebant.*

bant. Quomodo autem farre in manum conveniebatur, generatim expoſuit Ulp. *Fr. IX.* quæ alibi fruſtra quæras, verba Ulpiani: FARRE *convenitur in manum certis verbis & teſtibus decem præſentibus & ſolenni ſacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Licet ſingulorum rationem, puta verborum, teſtium, *ſolennis ſacrificii & panis farrei* adhibiti, hodie penitius cognitam atque perſpectam non habeamus, cum horum quicquam ex Ulpiani Fragm. quibus hæc omnia prolixius videntur explicata, ad noſtram ætatem nihil pervenerit. Quæ Tacitus ex *L. V. Annal. 16., de confarreandi adſuetudine* ex oratione Tiberii retulit. *c. III. §. 3.* appoſui, quæque Arnobius *IV. adverſus gentes* de uſu, *farre,* coëmtione tetigit, & Servius *lib. I. Georg.* & *IV. Æneid.* itemque Boëthius *in Top. Cic. lib. 2. de ritu confarreationis* docuerunt. *c. 2, §. 6.* tranſcripſi, ideoque hic inde repetenda. Apulejus *Lib. 10. d. Aſino Aureo* dixit *mulieris* MATRIMONIVM CONFARREATVRVS & ap. Eund. *Lib. V. Met.* Cupido ad Pſychen inquit: *Tu quidem ob iſtud tam dirum facinus confeſtim toro meo divorte, tibi res tuas habeto: Ego ſororem vero tuam & nomen, quo cenſeris, jam mihi* CONFARREATIS NVPTIIS CONIVGABO. Vulgo ſcriptum: *confeſtim arra atque his nuptiis conjugabo.* Sed reponunt Mercerus *ad Tac. Ann. Lib. IV. confarreatis nuptiis,* quod

quod & placuit Juliano Florido in notis, quibus in usum Delphini Apulejum illustravit. In veteri Glossario *confarreatus* dicitur συμβιώσεως χάριν ζευχθεὶς, *unà vivendi causa junctus*.

Vitiose *farratus*, rectius vero *farreatus*, sicut *farreare*, *confarreare*, *diffarreare* scribi Claud. Dansquius *Ortograph. vol. 2.* monuit: farreo, *diffarreo*, & *diffarreatus*, an in *Dig. Farreatus*, *Farreatio*, *Farreator in Codice* reperiatur, ut in Fabri Lexico notatum, dubito. Alludit quoque ad conventionem in manum & nuptias perpetuas & indissolubiles, quales erant nuptiæ farreatæ Appulejus *Metam. L. VI.* in nuptiis Cupidinis cum Psyche: licet, quæ de celebritate nuptiali comminiscitur, nihil ad solennitates ritusque confarreationi proprios attineant: Verba Apuleji: *Jam faxo nuptias non impares, sed* LEGITIMAS ET IVRE CIVILI CONGRVAS. *Et illico per Mercurium arripi Psychen, & in cœlum perduci jubet. Porrecto Ambrosiæ poculo, sume, inquit, Psyche, & immortalis esto*: NEC VNQVAM DIGREDIETVR A TVO NEXV CVPIDO, SED ISTÆ VOBIS ERVNT PERPETVÆ NVPTIÆ. *Nec mora, cum cœna nuptialis affluens exhibetur, accumbebat summum torum maritus, Psychen gremio suo complexus. Sic & cum sua Junone Jupiter, ac deinde per ordinem toti Dei. Tunc poculum nectaris Jovi quidem suus pocillator ille rusti-*

rusticus puer, ceteris vero Liber ministrabat. Vulcanus cœnam coquebat. Horæ rosis & ceteris floribus purpurabant omnia. Gratiæ spargebant balsama. Musæ voce canora personabant. Apollo cantavit ad cytharam. Venus suavi musicæ suppari gressu formose saltavit. Scena ibi sic concinnata, ut Musæ quidem chorum canerent, tibias inflaret Satyrus, & Paniscus ad fistulam diceret: SIC RITE PSYCHE CONVENIT IN MANVM CVPIDINIS, *& nascitur illis maturo partu filia, quam voluptatem nominamus.*

§. II.

De sacratis legibus.

In lege Romuli atque Numæ nulla *confarreationis* appellatio, neque *farre*, sed EX SACRATIS LEGIBVS dicitur in manum mariti convenisse, quomodo & in lege Numæ uxor, quæ ex sacris legibus in manum convenisset, significatur ab effectu, & quidem ea, QVÆ EX LEGIBVS PARTICEPS SIT ET SACRORVM ET BONORVM. Ut igitur illud, quod Dionysius tradit, antiquos *sacras* has *nuptias*, Romana quadam appellatione a *farris communicatione confarreationem* appellasse, succedentibus temporibus videri possit usu obtinuisse. Quænam autem erant sacratæ leges, ex quibus in manum uxor Romuli lege memoratur convenisse? puto *sacras* fuisse *leges*, quæ PONTIFICIO IVRE continebantur, & a jure civili di-

 stin-

ſtinguebantur. De quibus Cic. *d. legibus. c. XXI. hoc nihil*, inquit, AD PONTIFICIVM IVS, & *e medio eſt jure civili.* Inde SACRAS has NVPTIAS Dionyſius, & IN SACRIS nihil religioſius confarreationis vinculo eſſe dixit Plinius. Quomodo & Servius Daniel. *IV. Æneid.* Flaminem & Flaminicam IVRE PONTIFICIO confarreatis nuptiis in matrimonium conveniſſe judicavit. Diſcimus enim ex Dionyſii *Lib. 2.* quam multa de ſacris, iisque, quæ ad Divinum cultum pertinerent, Romulus conſtituerit, & Regis quidem hæc eximia munia eſſe juſſit, ut ſacrorum & ſacrificiorum principatum & omnes res divinæ per eum agerentur, Patriciorum vero, ut ſacra curarent.

Apud Romanos quoque ſacratæ leges dicebantur, *quibus* auctore Feſto v. *ſacratæ leges; ſanctum erat, qui adverſus eas fecerit, ſacer alicui Deorum, ſicut (lege ſit, cum) Familia pecuniaque; ſuntque, qui eſſe dicant ſacratas, quas plebes jurata in monte ſacro ſciverit:* in ſeceſſione enim plebis a patribus, qui XVII. fere annis poſt Reges exactos ſibi in ſacro monte Tribunos plebis crearunt, *ſacratam legem* tulerunt, ut plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxiliatio adverſus Conſules eſſet, neve cui patrum capere eum Magiſtratum liceret Liv. *II. 33.* ne populo Romano liceret eam legem abrogare, ut omnes cives

ves jurarent, se suosque liberos eis legibus perpetuo usuros, id si fecerint, propitios haberent, si fefellerint, adversos Deos. Dionys. *Lib. VI. p. 218.* Ad quas leges Ciceronem respexisse notat Ant. Aug. *d. legibus* v. *sacratæ leges. Oratione de provinc. consular: Si Patritius Tribunus plebis fuerit, contra* LEGES SACRATAS *fuisse, si plebejus, contra auspicia fuisse.* Pro domo *c. 17. vetant* LL. SACRATÆ, *vetant XII. tabulæ, leges privatis hominibus irrogari* Lib. II. d. legibus. *Suntque certa legum verba, neque ita prisca, ut in veteribus his* SACRATISQVE LEGIBVS. Quo sensu *Lib. V. 11. eo devolvi rem, ut aut Patricii aut Patriciorum assectæ habendi Tribuni plebis sint, eripi* SACRATAS LEGES, *extorqueri tribunitiam potestatem.* Et *Lib. XXXIX. 5. alienarum vero simultatum Tribunum plebis cognitorem fieri, turpe & indignum ejus potestate &* SACRATIS LEGIBVS *esse,* & Dionys. *Lib. X. p. 244.* SACRATIS LEGIBVS *in medium prolatis, quæ neque Magistratui, neque homini privato permittebant, ut Tribuno ulla in re adversaretur.*

Sic quoque appellata lex militaris, de qua Liv. *VIII. c. 41.:* LEX *quoque* SACRA *militaris lata est, ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente deleretur; addebamus legi, ne quis, ubi Tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset.* De exercitu lege sacrata

coacto idem. Liv. *XXXVI. c. 38.* Quamvis autem ſecundum eminentiam ſacratæ leges appellarentur, quas plebs jurata in monte ſacro de ſacroſancta Tribunitia poteſtate ſanciviſſet, in univerſum tamen ſacræ leges ſive ſanctæ & ſacratæ ſic dictæ videntur, quæ cum aliqua ſanctione, ea, quam Feſtus innuit, ut ſacer alicui Deorum eſſe ſancirentur. *De qua legum ſanctione, quibus interdum caput ejus, qui contra faciebat, conſecrabatur*, egerunt Papinianus *L. 41. d. pœnis* Ulp. *L. 9. §. 3. d. R. D. Juſt.*, *§. 5. J. eod.* Cicero *orat. pro Balbo*, & paſſim Feſtus. Veterumque de his ſanctionibus & ſacratis legibus teſtimonia collegit Paulus Merula *d. LL. c. 1. §. 8. & §. 24.* item Auguſtinus *d. LL. d. L.* Ceterum, quoniam & leges Regiæ plerumque *ſanctione in caput* ſubnixæ erant, ut *d. §. 8.* exemplis comprobat Merula, leges ſacratæ, ex quibus uxor in manum viri inſeparabilis conjugii vinculo conveniebat, potuerunt ejusmodi ſanctione eſſe conſecratæ, ut non a ſacris ſolum, ſed & ab ipſa ſanctione ſacratæ leges appellarentur.

§. III.

De ſenſu legis Romuli & Numæ.

Viri docti vim legis Romuli: MVLIEREM NVPTAM, QVÆ EX SACRATIS LEGIBVS IN MANVM MARITI CONVENISSET, CVM EO OMNIVM ET BONORVM ET SACRORVM PARTICIPEM ESSE; & legis Numæ:

SI

SI PATER PERMISERIT FILIO UXOREM DUCERE, QUÆ EX LEGIBUS PARTICEPS SIT ET SACRORUM ET BONORUM, NULLUM IUS ESTO VENDENDI FILIUM, non recte videntur percepisse.

Legem Romuleam Paulus Manutius *d. LL. c. 16. de quavis uxore* accepit. Sic & Balduinus *ad Leges Romuli*, cum *quamvis uxorem, legitimam* intelligeret, sic legis verba concepit: *Mulier viro legitime juncta fortunarum & sacrorum illi socia esto, utque domus ille Dominus, ita hæc Domina.* Vim hujus legis hunc in modum expressit G. Schubartus *d. fatis Jurisprud. Romanæ Ex. I. §. 18. Conjugii lex Romulea in eo consistit potissimum, ut more decenti vivant uxor & maritus, neque committant uspiam, quod honestati foret adversum.* Et *§. 19. Inter hæc uxor pudica & vitæ honestæ addicta, marito per obsequia devota, æque ac ille dominus, erat domina, inque ejus bona succedebat hæres, sicut filia in parentis.* Omnes non satis recte, certe non satis accurate. Etenim non ad quasvis uxores, etiam legitimas, quales quoque erant uxores sine in manum conventione, non attinebat lex Romuli, sed ad solas uxores, quæ ex sacris legibus non in matrimonium tantum, sed in manum quoque mariti convenissent. Neque communio sacrorum & bonorum ex vitæ honestate, sed ex ipsa in manum conventione promanabat, ideo-

 que

que uxor tantum, etiamsi pudica & vitae honestae addicta erat, particeps sacrorum & bonorum non fiebat: vid. *c. 2. §. 22.* Paulus Merula *d. LL. Romanorum cap. IV.* Mulierem intelligit, *quae juxta leges sacratas nupsit.* Rectius Dionysius, quae *ex legibus sacris in manum convenissent:* non enim in matrimonium tantum ex sacris legibus conveniebant, sed in manum quoque mariti: & quid de verbis & sententia legis laborare necesse erat, postquam verba & mentem legis optime proposuerat Dionysius, quae mutarunt non in melius, sed deterius Manutius, Balduinus, Schubartus, & Merula & alii. De sententia legis Numae, eaque a Plutarcho, Lipsio, Balduino Gravina & Bynckershoeckio minus recte accepta habuimus. *c. 3. §. 5.*

§. IV.

De farre. Cavendum autem hic cum a farre sive farris communicatione confarreationem nomen traxisse audimus, ne a farre sive farris communicatione illam formam accepisse existimemus. Nulla enim apud Romanos fiebant sine farre sacrificia, nullae sine sacrificiis apud eosdem nuptiae. Adeo sive in solo farre sive in solo sacrificio forma ac ratio conventionis in manum ex sacris legibus collocari non potest. Videamus primum de farre, deinde de usu farris in quibusvis sacrificiis, demumque de peracto sacrificio in quibus-

busvis, etiam ſine conventione in manum, nuptiis. De farre, ejus natura ac uſu ſic Plinius XVIII. 8. *Frumenti genera non eadem ubique: neque ubi eadem ſunt, iisdem nominibus: vulgatiſſima* FAR; *quod* ADOREVM *veteres appellaverunt; ſiligo, triticum - - Ex omni genere duriſſimum* FAR, *& contra hyemes firmiſſimum, patitur frigidiſſimos locos, & minus ſubactos vel æſtuoſos ſitientesque. Primus antiquis Latio cibus, magno argumento in adoreæ donis - - Pulte autem, non pane vixiſſe longo tempore Romanos, manifeſtum eſt, quoniam inde & pulmentaria hodieque dicuntur - - Et hodie ſacra priſca atque natalium pulte fitilla conficiuntur.* Eod. *Lib. XIIX. c. 3.* memorat Plinius: *gloriam denique ipſam a farris honore adoream appellabant*, quod ex Plauto *Amphitr. I. I. 38.* ibidem exponit Dalechampius: Sic laus vocata, poſtquam victoria parta militi, præmium frumentum fuit. Farris appellatione aliquando *omne frumenti genus* demonſtrari ex Plauto *d. l.* Varrone *d. lat. lingu. IV. 4.* notat Pitiſcus v. *adorea* & ex Serv. *I. Georg.* Liv. XXIII. aliisque Marcellus Donatus *Elucid. in Tacit. Lib. IV. Annal.* colligit; Ex Ulp. *Fragm. IX.* ad quem ibidem provocat Donatus, id evinci haud poteſt. *Horreum antiquos dixiſſe farreum a farre* autor eſt Feſtus v. *Horreum.* Et *farreum* Feſto h. v., *genus libi eſt ex farre. Farris hordeacii*

 quo-

quoque meminit Columella *VIII. 5.* *Panis farrei* mentio ap. Ulp. *Fragm. IX.* & Columellam *VII. 12.*, *farreacei agri in L. 58. §. 1. d. Usufr.* farinam a farre dictam nomine ipso apparet verbis Plinii *XVIII. 9.*

§. V.

De farris usu in quibusvis sacrificiis.

Romanos existimantes, far esse omnium frugum præstantissimum & antiquissimum, ab hoc in omni sacrificio, in quo victima crematur igne, initium fecisse, docuit superiori loco Dionysius. Qui eod. *Libro 2. p. m. 51.* Romulum laudavit ob sacrificiorum frugalitatem, quibus Deos coli jussit, ac vidisse se testatur, quæ ab eo inde tempore ad suam ætatem permanserint, in sacris ædibus cœnas Diis appositas, in antiquis mensis ligneis, & in canistris, & in catinis fictilibus, hordeacea liba, placentas & far, & fructuum quorundam primitias, & alias ejusmodi res tenues & apparatu faciles & ab omni inepta magnificentia remotas. Farri in *sacris pii & tosti* appellationes tribuebantur, notante Brissonio *d. Form. Lib. I. p. 31.* cujus mentio ap. Virgilium *V. Æneid.* Horat. *III. carm. od. 23.* Tibullum *Eleg. Lib. 3;* & Asconium *in 3. Verrin.* Cujus usum in quibusvis sacrificiis solennibus testantur Plinius *XXXI. 7. maxime tamen in sacris intelligitur auctoritas, quando nulla conficiuntur sine* MOLA SALSA, Arnobius *Lib. 2. adversus Gentes VI.* inquit,

PIVM

PIUM FAR *monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnium munia;* itemque Ovidius *Lib. 1. Fastor.*

Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

De Numa Plinius refert. *Lib. XIIX. cap. 2. Numa instituit fruge Deos colere, & mola salsa supplicare, atque ut autor est Hemina, Far torrere, quoniam cico salubrius esset. Id uno modo consecutum, statuendo non esse purum ad rem divinam non nisi tostum.* Quomodo & Plutarchus *in Numa* inter ejus instituta refert: *ne sacrificent sine frugibus;* Incruenta enim, & a sanguine pura plerumque erant prisca sacrificia ex instituto Numæ, de quo idem Plutarchus: *Incruenta sacrificia farina & libatione vini, plerumque faciebant, & rebus simplicissimis.* MOLA SALSA erat ipsum *far,* sed TOSTUM MOLITUMQUE CUM SALE ADIECTO COCTO AC DURO, cujus conficiendæ rationem egregie explicat in *Virg. Eccl. 8.* Servius, cujus hæc sunt verba: *Sparge molam, hoc nomen de sacris tractum est: Far enim pium. i. e. mola casta, salsa (utrumque enim idem significat) ita fit: Virgines Vestales tres maximæ ex Nonis Majis it. D. prid. Idus Majas alternis diebus spicas adoreas in corbibus missuariis ponunt: easque spicas ipsæ virgines torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Et* EO FARRE *virgines ter in*

anno MOLAM FACIVNT, *Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembribus*, ADIECTO SALE COCTO ET SALE DVRO. *Igitur quod in sacris* MOLA CASTA *dicitur*, *ideo Virgil. in V. Æneid.* FARRE PIO *enuntiavit. Quid enim est pium nisi castum? quoniam piare est propitiare; quod accidere non potest, nisi caste inservitum sit rebus sacris. Hoc autem dicendo: asperge molam, rem ipsam proprio nomine memoravit. Unde & in V. Æneid. & salsæ fruges, & in IV. ipsam Molam.* Quæ confirmat Festus in v. *Mola: Ador: & casta mola.* Variis appellationibus veteres Molam salsam demonstrant: FARRA MIXTA SALE dixit Ovidius *I. Fastor.* FRVGES SALSAS. Virgil. *2. & 12. Æneid.* Arnob. *Lib. 3. & 6.* FARRE PIO ET SALIENTE MICA mollire aversos Penates. *Horat. 3. Od. 23. Ovid. 4. Fastor.* FARRE PIO ET SALIENTE SALE placare Tibull. *10. Eleg. Lib. 3.* FAR ET PVRI LVCIDA MICA SALIS, Ovid. *supr.* In sacrificiis vero farre & *cultro aspergebantur & victimæ.* Serv. *in XII. Æneid. obliquo cultro molas inducebant* Lucan. *Lib. 1.* mola i. e. *farre molito & sale hostiam persspersam sacrabant,* quod erat immolare. Festus *h. v. exta farre spargebantur* Val. Maxim. *Lib. 2. c. 1.* Farre, quod dicitur mola salsa, *frons Victimæ & foci aspergebantur & cultri.* Servius *in 2. Æneid.* Taurorum, colla salsa mola spargebant. Senec.

in

in Oedipo Act. 1. Sc. 2. Molam & vinum insperge-bant. Cic. *Lib. 2. d. divinat. Imponebantur inter cornua fronti fruges sc. salsæ*, Ovid. *Lib. 15. Metamorph. Sacerdos imponebat libum farraq; mixta sale*, Ovid. *I. Fast. In sacrificiis adoreis ipsius generis panis ad aras offerebatur*, Isidor. *XVII. 3.* Hæc & plura de farre ejusque in sacrificiis usu vid. ap. Brissonium *d. Formulis Lib. 1. p. 18. p. 31*; in *Lib. d. R. N.* Marcel. Donat. *Elucid. in Tacitum Lib. IV. Annal.*, Merulam *d. sacrific. Roman. c. 3. § 2.*, Alex. ab Alex. *IV. Gen. Dier. ibique Tiraquellum.* Sacrificia epulæ sacrificiales sequebantur, publica epulæ publicæ, quæ a septemviris epularum curabantur; privata epulæ privatæ, quibus amicis convocatis partes cum Diis divisas comedebant. Plaut. *Amph. III. III. v. 13.* & *Sticho I. III. v. 96.* add. Sveton. *in Vitell. c. 13.* Vid. Gutherius *d. jure Pontif. Lib. IV. c. 23.* Alexander ab Alex. *Lib. 14. c. 17. ibique Tiraquellus*, Nieport. *Ant. R. c. 3. § 6.* Pitiscus *v. Epulones: Epulum.*

§. VI.

De sacrificiis in quibusvis nuptiis.

Ostendimus, nulla fuisse sine farre tosto & molito ac sale sacrificia. Tempus est, ut gradum ad sacrificia in quibusvis nuptiis peracta faciamus. Apud Nonium Marcellum *VII. 98.* Varro antiquitatum rerum divinarum Lib. XIV. inquit: *Viris, nuptæ sacrificabantur in cubiculo viduæ.* Sacrificabantur pro sacrificabant,

cabant, ut idem Nonius indicavit. Plane Servii verbis *III. Æneid.* in verba: *Operata juventus: ap. veteres uxor duci non poterat, nisi sacrificiis peractis.* Brissonius *d. ritu nuptiar.* Gutherius *d. jur. Pontif. Lib. IV. c. 6.* In adorando Romani dextrum ad osculum referebant, totumque CORPVS CIRCVMAGEBANT. Plinius *XXIIX. 2.* & ex Pythagoræ Symb. adorandum cum CIRCVMACTV CORPORIS. Quod apud Romanos Numam instituisse Plutarchus auctor est. Vid. Svetonius *in Vitellio c. 2.* & quæ eam in rem congesserunt Brissonius *d. Formulis Lib. 1. p. 37.* Mercerus & Tiraquellus *ad Alex. ab Alexandro IV. 16.* Merula *d. sacrif. Roman. c. 4. p. 50.* nec minus in omnibus rebus sacris aqua & ignis adhibebatur, ut observat Alex. ab Alex. *L. V. 17.* Ex Plauto *in Rudente* notat Gutherius *d. jure Pontif. Lib. IV. 24.* Verba Diemonis ap. Plautum: *Si qui sacrificant, semper petunt* AQVAM *hinc aut* IGNEM. Et ex Thucydide *II. 15.* de Græcorum moribus observat Spanheim. *Diss. XI. d. præst. & usu Numism. p. 292.* Omnia hæc, puta *sacrificium, adorationes circumacto corpore, aquam & ignem* in sacris nuptialibus, ut in aliis rebus sacris intervenisse discimus ex Valerio Flacco *Lib. VIII. Argonaut.*

Inde ubi SACRIFICAS *cum conjuge venit ad* ARAS
Æsonides, unaque adeunt PARITERQVE PRECARI

Inci-

Incipiunt, IGNEM *pollux* VNDAMQVE IVGALEM
Prætulit, ut DEXTRVM PARITER VERTANTVR IN ORBEM.

Idem non multo post:

Primus & ecce fero quatioque hanc lampada vestro
Conjugio primus celebro dotalia SACRA.

Quomodo & de unda sive aqua jugali, qua apud Græcos more antiquo ante nuptias, ut in aliis rebus sacris, uterentur, eo quo dixi loco Thucyd. ait: *& nunc etiam more antiquo est receptum, ut* ANTE NVPTIAS ET IN ALIIS REBVS SACRIS HAC AQVA VTANTVR, ubi vetus scholiastes subdit: *sacræ n. sunt nuptiæ.* Ad ARAS quoque nuptias sive sacrificia nuptialia celebrari moris fuisse, elucescit ex eo, quem dedimus, Valerii Flacci loco, atque ex Seneca in *Octavia Act. IV. Sc. 1.* & Statio *Lib. II. Thebaid.* & in Epithalamio Stellæ & Volantillæ, & ex Justino Lib. XXIV. aliisque observat & probat Petrus Berthaldus *d. Ara c. XIII. §. 8.* quævis itaque nuptiæ apud Romanos erant sacræ, hinc *sacra nuptialia* Liv. *XXX.* Plutarchus *in Pompejo p. 148.* Quintilianus *l. 7. Sanctimoniæ nuptiarum, nuptialia sacramenta* Martianus Capella Lib. 1. dixerunt. Sed quorsum hæc omnia? nimirum, ut demonstraremus, ex solo farre in omnibus sacrificiis adhibito, & solo sacrificio quibusvis nuptiis com-

communi, earum nuptiarum, quæ ex sacris legibus fierent, & a communicatione farris, confarreationis nomen, non formam acceperunt, rationem omnino iniri non posse.

§. VII.

Farris usus in confarreatione.

In confarreatione farris usum non uno modo veteres prodiderunt. Dionysius refert, VXORES CVM VIRIS SACRATISSIMI ET PRIMI CIBI, puto farris, quod frugum omnium antiquissimum existimabant, fuisse PARTICIPES, eam rem appellatam esse farris communicationem, & a farris communicatione dictam esse confarreationem. Ulpianus docet in solenni hoc sacrificio PANEM quoque FARREVM esse ADHIBITVM; quomodo & Festus in diffarreatione sacrificium FARREO LIBO ADHIBITO factum prodit. Servius notat, per FRVGES ET MOLAM SALSAM ESSE CONIVNCTOS, indeque appellatam confarreationem. Plinius inquit: novæ nuptæ FARREVM PRÆFEREBANT, quod diversimode viri docti exponunt. A. Hotomannus *Observ. ad veteres ritus nuptiarum, farreum* accipit *far tostum*. Marcellus Donatus *Elucid. in Tacit. IV. Annal.* quod ex farina farris tosti sale aspersa & aqua conficiebatur; Dalechampius in Plinium conjicit farreum hic fictilem esse sartaginem, in qua far torrebatur. Schultingius *ad Ulp. Fragm.*

IX.

IX. intelligit farreum, panem farreum, vel genus libi ex farre factum, quod ex Festo in *v. Farreum*, supra comprobatum. Mercerus *ad Alex. 2. Genial. Dier. 5. p. 268.* explicat non novæ nuptæ farreum prælatum, sed novas nuptas dantes ad maritum solitas præferre farreum, & eodem modo Guther. *d. jure Pontif. IV. 6.*, in hoc sacrificio panem farreum adhibitum illum, quem nova nupta præferret. Novas nuptas non ipsas farreum præ se tulisse, sed iis prælatum esse conjectamus, sicut plura alia iis prælata esse in sacris nuptialibus constat, sic ap. Val. Flaccum *l. c.*

- - *Ignem Pollux undamque jugalem*
Prætulit.

Sic & faces jugales eisdem prælatæ. Senec. *in Octav. Act. 2. Sc. 2., Act. 3. Sc. 4.* Interim non unus, sed multiplex videtur farris in confarreatione usus, v. gr. farris prælati, itemque farris communicati, cum ejusdem cibi cum maritis fuerint participes, quod mirum nemini videri debet, cum & aqua & ignis, item pellis lanata sive ovilis, ut inferius dicetur, non una ratione in sacris nuptialibus adhiberentur.

§. VIII.

Confarreationis forma.

Quinam igitur confarreationis ritus ii, qui ejus formam constituerunt? plane si fatendum, quod res est, dissimulari non debet, eos penitius cogni-

gnitos & perſpectos nos hodie non habere. Aliqua ſcimus ea, quæ generatim de confarreatione auctores veteres prodiderunt, plura eaque omnia, quæ ſpeciatim ediſſerenda erant, ignoramus. Hinc recte Briſſonius *d. Ritu nupt.* quo ritu olim confarreatio perageretur, unus, Ulpianus, ac ne is plane quidem explicat. Quæ de confarreationis modo ac ritu ex optimis autoribus, conſtant, breviter perſtringemus. De uſu farris ac confarreationis, puta de COMMVNICATIONE FARRIS, cujus uxor cum viro particeps fiebat, de PANE FARREO in ſacrificio confarreationis, ET LIBO FARREO in ſacrificio diffarreationis adhibito, DE CONIVNCTIONE PER FRVGES ET MOLAM SALSAM, de FARREO novæ nuptæ PRÆLATO ſuperiori §. 6. dicere antevertimus, reliqua Ulpianus & Tacitus. Ulpianus quidem, farre in manum conveniri, 1) CERTIS VERBIS, 2) DECEM TESTIBVS PRÆSENTIBVS, 3) ET SOLENNI SACRIFICIO; Tacitus vero *Annal. IV. 16.* significavit ſaltem in confarreatione ipſius CEREMONIÆ DIFFICVLTATES, quæ conſulto vitarentur, QVÆDAM EX HORRIDA ANTIQVITATE, quæ ad præſentem uſum Auguſtus flexiſſet, nihil ulterius:

Cetera enim & ſingula, quæ ad confarreationis ritum pertinerent, veterum monumentis nuſquam explicata. Itaque hæc omnia,

omnia, nimirum certa verba confarreationis, decem teſtium adhibendorum modus, ſolennis ſacrificii ratio, ceremoniarum difficultates †, ea, quæ ex horrida antiquitate ad præſentem uſum flexit Auguſtus, quorum olim Pontifices erant enarratores & interpretes, hodie in ignoratione verſantur. Interim quæ Servius de modo ac ritu confarreationis attulit, ſi modo hæc omnia Servii ſint, ea confarreationi propria non fuiſſe, ſed matrimoniis ſine in manum conventione, tantum contractis, cummunia ſequenti §. *8*. demonſtrabitur.

† In oratione Tiberii ap. Tacitum. *Annal.* IV. *16*. Poſtrema verba: *quaque in manum flaminis conveniret*, defectu laborare Lipſius in notis ad Tacitum putavit, ac deeſſe, quæ ad ceremoniarum difficultatem pertinerent: Heinſius deeſſe hæc, aut quæ ejusdem ſenſus. *Flaminica Dialis ſacrorum cauſa in poteſtate viri eſſet;* Sed rectius integrum locum, & quæ ſuo ſenſu conſtet, agnoverunt Mercerus, Pichena, Pichonius, Freinshemius, & Boſius *d. Pontif. Max. diſſ. 1. c. 6.* Vid. quæ copioſe diximus *c. 2. §. 3.* de hujus loci vero ac genuino ſenſu.


§. IX.

Quæ in Servio Danielis perperam ad confarreationis.

Equidem Servius Daniel. *I. Georg.* iterumque *IV. Æneid.* iis verbis, quæ integra *c. 2. §. 6.* appoſui ad confarreationis mo-

 dum

formam referantur. dum ejusque ritus refert: 1) quod per Pontificem Maximum, & Dialem Flaminem conjungerentur per FRVGES ET MOLAM SALSAM; 2) quod in confarreatione Flamen & Flaminica sellis duabus, OVILI PELLE superinjecta ejus ovis, quæ hostia fuisset, VELATIS CAPITIBVS, residerent; 3) quod in farreatis nuptiis AQVA ET IGNI, duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur; 4) denique CONFARREATIONES TONITRV DIRIMAT. Qvibus 5) CONIVNCTIONEM DEXTRARVM addidit Mercerus ad Alex. *2. Genial. Dier. 5. p. 268.* Usum farris & MOLÆ SALSÆ in quovis sacrificio, sacrificium in quibusvis nuptiis adstruximus, equidem in modo adhibendi farris, & solennitate sacrificii cum difficultate quadam ceremoniarum peracti, fuisse inter confarreationem & reliquas nuptias ingens discrimen dubitandum non est, licet hæc omnia, quæ ad solennitates & ceremonias confarreationi proprias pertinerent, ut modo dictum, cum ignarissimis sciamus. Quod de PONTIFICE MAXIMO ET FLAMINE DIALI addit Servius, ab iis nubentes conjunctos esse, videtur admittendum, nam & de matrimonialibus quibusdam cognoscebant Pontifices. Sic cum Augustus ducturus esset Liviam Neronis ante uxorem, consulti sunt Pontifices, quam-





p. 131.





quamquam per ludibrium, an concepto necdum edito partu rite nuberet? & responderunt. Tacitus, *Annal. l. 10. 7.* Dio 48. observante Bosio *d. Pontif. Max. disp. I. c. IV. 16.* De Imp. Gallieno Trebellius Pollio scripsit, in celebritate nuptiali sponsorum manus tenuisse & junxisse, quod jure Pontificis Maximi, quales erant cum potestate, qua re ipsa utebantur Imperatores, & is, quem modo nominavi Gallienus, ut ex optimis auctoribus & inscriptionum fide probavit Bosius *d. Pontif. Maximo Diss. 2. c. 2.* ex qua de Gallieno narratione & illud colligi potest, Pontificem Maximum s. Flaminem non in confarreatione solum, sed & in quibusvis nuptiis, nubentes conjunxisse. Neque eam conjunctionem sive per Pontificem Maximum sive Flaminem Dialem tantum, sed etiam per mulierem velatam sive per Flaminicam Dialem sive per Vestalem virginem factam, (quæ utraque erat velata, v. Festus *in Flameum*, & Lipsius & Spanheimius *d. Vesta.*) apparet ex Nummo Aurelii apud Anselmum Solerium de Pileo p. 103. & ex alio Nummo Imp. Commodi ostendit vir summus Spanheimius *Diss. XI. d. Præst. & usu Numismatum p. 292.* quos hic exhibemus. Prior apud Solerium est Aurelii, ubi Imp. publico omnium voto interposita Virgine Vestali sive Flaminica (auspice Concordia

putat Solerius, sed minus recte) Faustinam sibi matrimonio jungit, sinistra nuptiales Tabulas, dextra dextram sponsæ prehendens; posterior apud Spanhemium est Imp. Commodi & Crispinæ uxoris singulari mole ac pretio, quem recondit Gaza Gallorum Regia, in quo hinc mutuo se respicientia Commodi & Crispinæ capita intueri licet, cum inscriptione: IMP. COMMODVS AVG. GERM. SARM. CRISPINA AVG. In altera autem parte mulierem velatam s. Vestalem inter Commodum & Crispinam jungentes dextras ac sine inscriptione, atque eadem ex marmore apud Laurent. Begerum *Dactylioth. Gorl. p. 28.* ex marmore, quod infra delineari fecimus, abunde confirmantur.

§. X.

De pelle lanata.

De OVILI PELLE ejus ovis, quæ hostia fuerit, sive PELLE LANATA, in qua resedisse Flaminem & Flaminicam in confarreatione, Servius docuerat, idem fere Festus in verbis: *In pelle lanata,* scriptum reliquit, ita tamen ut non Flaminis & Flaminicæ in confarreatione, *sed cujusvis novæ nuptæ* ex more vetusto in pelle lanata considentis, meminerit. Verba Festi: *In pelle lanata nova nupta considere solet, vel propter morem vetustum, quia antiquitus pellibus homines erant induti, vel ut testetur, lanificii operam se præstituram viro.* Ideoque & illud

in

in vulgata ducendæ uxoris ratione agnoſcunt Alex. ab Alex. *II.* 5. Barn. Briſſonius. *d. R. N.* Neque ſellas ovili pelle inſtratas, de eſſentia nuptiarum confarreatarum eſſe arbitratur Begerus *Dactylioth. p.* 27. Vid. Mercerus *ad Alex. d. l.* Neque vero ſolum in pelle lanata nova nupta conſedebat, ſed etiam *introductæ ſponſæ vellus ſubſternebant, ipſaque mariti januam lana coronabat*, autore Plutarcho *qu. Rom.* 31. (Interprete Suida autem *vellus pellis erat lanata aut ovilis*) LANIS POSTES A NVBENTIBVS ATTINGI Romani veteres jubebant. Plin. *XXII.* 2. cum puellæ nuberent, maritorum poſtes ungebant, ibique LANAM FIGEBANT, Donat. *in* 2. *Scen. Hecyr.* Simulac veniſſent ad limen mariti, poſtes, antequam ingrederetur, ORNABANT LANEIS VITTIS, & oleo ungebant, inde uxores dictæ, notante Briſſonio *d. l.* ubi diverſum pellis lanatæ uſum cum initio conſideret, & cum ſponſæ ſubſterneretur, minus recte commiſcuit, de velatis capitibus vero, cujus Servius meminit, ſic cenſeo. Flammeo amiciebatur nubens, ominis boni cauſa, quod eo aſſidue utebatur Flaminica Flaminis uxor. Flammeum nuptiale velum erat flammei coloris, Feſtus *in Flammearii* h. e. lutei coloris, caput tantum, pectus & humeros tegens, quo ſponſæ caput nubebatur, unde & nuptiæ, Feſtus *in v. nuptias.* Octavius Ferrarius *Analectis*

ctis d. Re vestiaria c. XXIV. cujus figura in nummo Crispinæ uxoris & marmore Begeri conspicienda datur. De hoc flammeo nuptiali lutei coloris Plinius *XXI. 8.* lutei coloris honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum fœminis concessum; & Schol. Juven. *VI. 225:* Flammeum est genus amiculi, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum; est enim sanguineum. Plura de Flammeo Brissonius *d. R. N. p. 1032.* & Pitiscus *h. v.* & quos ibi magno numero nominavit autores. Vir ducebat capite aperto, ut in nummis & marmoribus visitur; mulier nubebat proprie, quia flammeo caput obnubebat, ut adeo singulare prorsus & insolitum, quod in nuptiis nefariis Neronis, quibus puerum sponsum exsectis testibus in modum justæ uxoris ducebat Nero. v. Sveton. *in Neron. cap. 28.* ibique Torrentius Casaub. & Brissonius, ipsi Imperatori Flammeum inditum legamus ap. Tac. *XV. Ann. 37. n. 4.* Quid igitur est, quod velatis capitibus Flaminem & Flaminicam, cum confarrearentur, Servius prodidit in ovili pelle resedisse? Duo in mentem veniunt, unum, quod Flamen Dialis pileo sive FILO ASSIDVO VELETVR, Festus *in flamen*, & nudis capitibus eos incedere nefas fuerit, Serv. *in VIII. Æneid.* Varro *IV. d. Lat. lingua*, Tiraquel. ad Alex. *VI. 12.* Vid. de la Chausse *d. insignibus Pontif. Maximi & Flaminis Dialis Tab. 1.*

Tab. 1. ubi forma pilei a Servio & Festo descripti, alterum, quod omnes etiam, qui non Flamines essent, capite operto rem Divinam facerent, cujus caussas disquirit Plutarchus. *Qu. Rom. X. ibique in notis Boxhorn;* in quam rem idem Servius *III. Æneid.* notat: *sane sciendum est, sacrificantes Diis omnibus* CAPITA VELARE *consuetos ob hoc, ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus.* add. Plautus *in Curcul. Act. III. Sc. 1; Amphitr. Act. 25. c. 1.* Festus in *v. Saturnia.* Quæ copiosius ex veterum testimoniis edisseruit Brissonius *d. formul. L. 1. p. 35. & 36.* Oisel. *in Gell. I. 12.* ut hinc mirum non sit, in ipso confarreationis sacrificio, cum confarrearentur, velatis capitibus consedisse.

§. XI.

De Aqua & igne in nuptiis adhibita.

Quæ de AQVA ET IGNI in conventione in manum & farreatis nuptiis adhibita, Servius *IV. Æneid.* scripsit: *quæ conventio eo ritu perficitur, ut aqua & igni duobus elementis* NATVRA CONIVNCTA habeatur, verbis non dissimilibus de quavis nupta significavit Festus in *v. aqua:* AQVA ET IGNIS INTERDICI SOLET, QVAM ACCIPIVNT NVPTÆ: *videlicet, quia hæ* DVÆ RES HVMANAM VITAM *maxime* CONTINENT. Dicebatur nova nupta AQVA ET IGNI SPARGI, itemque accipi. Festus in *v. Facem: Facem*

 in

in nuptiis in honorem Cereris præferebant, AQVAQVE SPARGEBATVR NOVA NVPTA, *sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut ignem atquè aquam cum viro communicaret.* Sic Scævola *L. penult. §. 1. d. donat. inter virum & uxorem: Die nuptiarum, priusquam* AD VIRVM TRANSIRET, *& priusquam* AQVA ET IGNE ACCIPERETVR. Maritus nimirum uxorem aqua & igne accipiebat. Serv. *in IV. Æneid.* ubi hæc Varronis verba recitat: AQVA ET IGNI MARITI VXORES ACCIPIEBANT. *Unde & hodie* FACES PRÆLVCENT, ET AQVA PETITA DE PVRO FONTE *per puerum felicissimum vel puellam, quæ interest nuptiis, de qua solebant* NVBENTIBVS PEDES LAVARI; Accipiebat maritus uxorem aqua & igne in limine. Varro *d. Lat. Lingu. Lib. IV.* ideo ea in nuptiis in limine adhibebantur, quod conjungit. Quomodo igne? quomodo aqua? non una ratione, non uno modo. IGNE PRÆLVCENTIBVS FACIBVS, Varro *ap. Serv. d. l.* & allato a marito igne e foco in titione, i. e. interprete Brissonio, fuste ardente, Nonius Marc. in v. *Titionem* & in verbo: *Felix,* ut ignem tangeret, Plutarch. *Qu. Rom. 1.* AQVA petita de puro fonte per puerum & puellam, qua NVBENTIBVS PEDES LAVARENTVR. Varro ap. Serv. *d. l.* & allata a novo marito aquali, quæ vox vas aquarium significat. Nonius Marc. *d. l.*

QVA

QVA ASPERGEBATVR NOVA NVPTA, Festus in v. *Facem* & QVAM SPONSAM IN NVPTIIS IVBEBANT TANGERE, Plutarch. *Qu. Rom. 1. ibique Boxhorn.* Alex. *II. Genial. dier.* putat, utrumque tetigisse, sed solum de *sponsa* loquitur Plutarchus. De aqua & igne in sacrificio nuptiali adhibitis habuimus §. 5. undam enim jugalem ap. Valer. Flacc. *L. VIII. Argonaut.* in ipsis sacris nuptialibus adhibitam esse, monstrant verba, quæ antecedunt *ad aras unaque adeunt pariterque precari* & quæ sequuntur: *ut dextram pariter vertantur in orbem.* i. e. ut adorando dextram ad circulum referant, & corpus circumagant, ideoque ad aquam & ignem, quibus nova nupta, eo quo dixi modo, a marito accipiebatur, nihil videtur attinuisse, quod etiam monuit & agnovit Mercerus *ad Alex. II. 5. Certò,* inquit, *aqua & ignis ad illud sacrificium deferebatur. Valerius Flaccus: Quo loco forte verius uxor dicetur igne & aqua accepta, potuit tamen nova nupta pluries illam aquam & ignem contigisse*, quod de formula: *aqua & igne accepta* addit Mercerus (de qua nihil in Valerii loco,) illa proprie marito, cum is aqua & igne uxorem in limine acciperet, videtur convenire. Qui plura de aqua & igne in nuptiis adhibito desiderat, adeat Brisson. *d. R. N.* Alex. ab Alex. *II. Genial. Dier. 5. ibique Tiraquellum & Mercer.* Anton. Guibertum Co-

ſtanum *comm. d. matrimonio. p.m.* 156. Budæum *ad ff. part. priori. p. m.* 787. & *part. poſter. p.* 110. Anton. Hotoman. *de Ritu Nupt. c.* 10. Ceterum ex his, credo, nunc ſatis eluceſcit, aquam & ignem, neque ad ſolas farreatas nuptias pertinuiſſe, neque coëmtioni tantum, ut ex Servio colligit Gutherius *d. jure Pontif.* potuiſſe convenire, ſed & ceteris nuptiis ſine in manum conventione initis fuiſſe communes, recte obſervante Schultingio *ad Caji Inſtit. Lib.* 2. *Tit.* 8. *princ.*

§. XII.

De Tonitru quæ confarreationes dirimit.

Quod poſtremo Serv. *IV. Æneid.* addit: *Confarreationes autem tonitru dirimit*, viri docti, qui de confarreatione egerunt, non expediunt, nec mihi ſuccurrit, quæ ex bonis auctoribus ratio diffarreationis tonitru diremtæ poſſit evolvi. De Flaminica Macrobius *I.* 16. *Flaminica, quoties tonitrua audiiſſet, feriata erat, donec placaſſet Deos;* & de comitiis, quæ auſpicato fiebant Cic. *Div. II.* 18. refert: in commentariis noſtris ſcriptum habemus,

Jove tonante fulgurante comitia populi habere nefas.

Quæ neſcio an quadam ſimilitudine nos poſſint juvare, ut matrimonium, quod ſine auſpiciis rite ductis non fiebat. Serv. *in IV. Æneid.* Cic. *I.* 1. *d. divin.* vid. Alex. ab Alex. *II. Gen.*

Dier.

Dier. 5. *ibique Mercer.* & *Tiraquel.*, Briſſonius *d. R. N.* confarreare Jove tonante & fulgurante nefas haberetur, & ſic tonitru dirimat confarreationes. Quemadmodum non abſimili ratione ſericum occentu auſpicia dirimebantur i. e. fiebant irrita, Plinius *Lib.* 8. Budæus *notis prior. ad ff. p.* 354. Moris etiam apud Romanos erat, ut in ſcenicis fabulis, ludis in ſcena abſolutis, Jovis tonantis nomine tonitrua ederent, & ſimilitudinem quandam tonitrui imitarentur, de quo more Feſtus *in Claudiana tonitrua*, verba Feſti: *Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcher inſtituit, ut ludis poſt ſcenam collectus (conjectus) lapidum ita fieret, ut veri tonitru ſimilitudinem imitaretur. Nam ante leves admodum & parvi ſonitus fiebant, cum clavi & lapides in labrum æneum conjicerentur.* vid. Plautus *in Amph.* V. 1. 78. Phædr. V. 7. 23. Pitiſcus in *tonitrua ibique citati.* Quali tonitru an etiam finita ſive diremta confarreatio fuerit, alii videant. Malui enim imperfecta tradere, quam, ubi hariolis opus eſt, quicquam certo definire, de fulmine nuptiali, quod nuptias portendere putabatur, vid. Virg. *Æneid.* IV. 166. Claud. de *Rapt. Proſerp.* II. 228. Bulenger. *de Terræ motu & Fulm. c.* 15.

§. XIII.

De conjunctione dex-

CONIUNCTIONEM DEXTRARUM in confarreatione, item

trarum in nuptiis. item coëmtione factam, Mercerus censet *ad Alex. VI. 5.* cum hoc discrimine, ut in confarreatione dextræ per Pontificem Maximum & Flaminem Dialem, in coëmtione per alium jungerentur. Equidem Romani in concordiæ, fidei, fœderis & pacis argumentum & pignus, dextras jungebant. Isidorus *XI. 1. dextra pignus pacis datur, ipsa fidei testis & salutis adhibetur.* Plin. *XI, 45.* dextra in fide porrigitur. Ovid. *Heroid. II. 31.*

Pura fides ubi nunc commissaque dextera dextræ.

Tacitus *Annal. XII. 47. 3.* Mos est Regibus, quoties in societatem coëunt, implicare dextras. Sic in nummo Titi Domitiani ap. Ferr. *d. Re. Vest. Lib. 1. & p. 621.* & Albertum Rubenium, *d. re. Vestiar. p. 14. Ant. Rom. Grævii Tom. VI.* apparent dextræ junctæ, muliere velata intermedia cum inscriptione: PIETAS AVGVSTA; & in nummo aureo M. Aurelii & Plautillæ, ibidem dextræ junctæ, cum epigraphe: CONCORDIA FELIX. Eadem ratione in nuptiis ineundis, in fidei, concordiæ & fœderis conjugalis symbolum dextras nubentium junctas constat, neque vero solum in nuptiis, quæ conventione in manum contraherentur, sed etiam iis, quæ sine conventione in manum celebrarentur. Senec. *controv. 6. Lib. 7. Ita istæ* DEXTRAM *sororis meæ nisi dum manumittitur, non contigit.* Virgilius IV. Æneid.

Dota-

Dotalesque Tuæ Tyrios PERMITTERE DEXTRÆ.

Trebellius Pollio *in Gallieno c. XI.* cum fratrum ſuorum filios CONIVGARET, & omnes Poëtæ Græci & Latini Epithalamia dixiſſent, idque per dies plurimos, cum ille MANVS SPONSORVM TENERET, ut quidam dicunt, ſæpius ita dixiſſe fertur: Qualis conjunctio dextrarum nubentium, muliere velata interſtite proſtat in nummo Commodi & Criſpinæ & marmore? Begeri, de quibus dictum. §. 9.

Quæ cum ita ſe habeant, *dextræ permittere* apud Virgilium, quamvis, ut voluit Servius Danielis, non eſt in manum convenire, cum de junctis in quibusvis nuptiis dextris intelligi commode poſſit, quomodo & in vulgata Servii editione expoſitum dextræ permittere quaſi per manus conjunctionem. Sic cum apud Symmachum legimus *L. 2. Epiſtol. Sororem Pompejam olim viro maturam, te auſpice,* IN MANVS *optat* ACCIPERE, nihil omnino cauſæ eſt, quin manus conjunctionem in nuptiis fieri ſolitam, intelligamus.

§. XIV.

De confarreatione a Romulo inſtituta.

Memini ſuperius *c. 1. §. 4.* me dixiſſe, jam a primis Reip. Romanæ initiis, EX INSTITVTO ROMVLI uxores ex ſacris legibus, hoc eſt confarreatione in manum con-

convenisse, quod quidem nunc eo diligentius excutiendum erit, postquam viri docti de initiis confarreationis disputarunt. A Romulo institutam conventionem in manum ex sacris legibus, censuerunt Manutius *d. LL.* Balduinus *ad L. Rom.* Hilliger *ad Donellum Lib. VII. c. 2. Lit. f.* Georg. Schubartus *d. Fatis Jurispr. Rom. Ex. I. §. 18.* atque alii. A Numa inductam existimarunt Marc. Donat. *dilucid. in Tacitum IV. Annal.* Theodor. Guil. Leidekker. Dissert. inaug. *de Nuptiis* Lugd. B. habita 1717. c. 2. Valentinus Forsterus *de Success. Lib. IX. cap. 1. n. 5.* quorum postremus duas suggerit rationes, vnam, quod conjugia sub Romulo raptu cœperint, alteram, quod Pontifices, per quos confarreatio fieret, primum Numa induxerit. A Romulo non institutam certissimum esse, Rævardus ad *L. XII. c. 5.* putat, an a Numa, subsistit. Pithœus *ad collat. LL. Mos. & Rom. tit. XVI.* notat, ritum confarreationis Romuli temporibus non in usu fuisse videri; tetigit quoque dissensum eruditorum Thomasius, sed noluit quicquam definire. Dedit has turbas Plinius *XIIX. 2.* cujus verba apposui *supra* §. 4. cum scriberet, *Numam instituisse Deos fruge colere, & mola salsa supplicare, & far torrere.* Sed sane quamvis de veteri Romanorum ævo constet, singulorum gesta & publica monumenta rerum confusa esse, nec quisquam æqualis illis tem-

temporibus ſcriptor extet, quo ſatis certo auctore ſtetur, ut veriſſime quidem Livius *VIII. 40.*, & viri docti obſervarunt. Sæpe ideo Livium & Dionyſium inter ſe diſſidere, & utrumque ab aliis, in quam rem egregie diſſeruit Bynckershœc. *Præf. prætermiſſor. ad L. 2. d. O. J.* hic tamen omnia ſuadent, ut Romulo eam legem acceptam feramus, cujus verba retulit Dionyſius, & ad quam, licet ſine Romuli mentione, ſe remiſit Numa, cum patri jus vendendi filium, cujus in manu uxor eſſet, ex ſacris legibus apud eundem Dionyſ. negaret. Neque vero incerto auctore hac parte nititur Dionyſius, ſed ipſa auctoritate Romuleæ legis, cujus verba recitat; LEX, inquit, HÆC ERAT, quod Dionyſio licet homini Græco eo magis accredi par erat, utpote qui non ſolum omnia, quæ ad ſuſceptum opus antiquitatum Romanarum faciebant, accurate ſibi parare non ceſſaverat, atque has ipſas antiquitates partim a celeberrimis doctiſſimisque viris, in quorum congreſſum colloquiumque venerat, edoctus acceperat, & partim ex commentariis collegerat, quos ab ipſis indigenis laudati ſcriptores Romani conſcripſerant, quorum in numero erant Porcius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antias, Licinius Macer, Ælii, Gelli, aliique viri non ignobiles, ſed etiam, quod notandum reor, illa, quæ a Romulo Numaque, ejus ſucceſſore circa cultum

tum

tum divinum instituta, non quasi obiter, sed dedita ac professa opera narrat ac excutit, atque summa capita Numæ institutor VIII. partibus comprehensorum exsequitur, ut nihil horum videatur diligentissimum scriptorem fugisse. Hic autem quando Romulum *Lib. 2. p. m. 51.* laudat ob sacrificiorum frugalitatem, quibus Deos coli jussit, in his, quæ a Romuli temporibus ex hac sacrificiorum frugalitate ad Dionysii ætatem, licet non omnia prisco more fierent, *hordacea liba*, *placentas*, FAR *& frugum primitias* numerat. Ut, id quod Plinius non satis explicate retulit, Numam Deos fruge colere instituisse, & mola salsa supplicare, & far torrere, ex ipso Dionys. *Lib. 2. p. 51.* possit sic expediri. Esse etiam quædam, quæ Numa Pompilius instituerit, rerum divinarum interpres præstantissimus & artifex in comminiscendis, *sed Romulum semina & principia illis* præbuisse; iterumque *p. 67: Numam quos ritus ac leges a Romulo constitutas acceperit, hæc omnia optime constituta immota reliquisse, ab illo vero prætermissa de suo addidisse*, adeoque Romulum Deos farre primo & antiquissimo cibo non tamen tosto, Numam mola salsa, hoc est farre molito atque tosto colere instituisse. Loquitur enim Plinius *maxime de farre tosto*, ejusque instituti rationem, *quod cibo salubrius esset*, addit.

§. XV.

§. XV.

De Numæ institutis.

Neque vero id novum apud autores veteres, ut quod post Romuli instituta Numa explicatius saltem ratione modi instituisset, Numam instituisse proderent, ut verissime notavit Schubartus *d. fatis jurispr. Romanæ Ex. I. §. 8: cum pluribus id ageret Numa*, inquit, *instituti melioris auctor, & civitatem religione, legibus impleret, ea res in causa fuit, ut posteri magis eum laudarent hoc nomine, quam Romulum, ac instituisse proderent, quæ ante illum a Romulo jam essent instituta.* Sic apud Tacitum *III Annal. 26;* Numa populum religionibus & jure divino devinxisse dicitur, cum tamen Cicerone *IV. Tusc.* teste, jam a primo urbis ortu, regiis institutis auspicia ceremonias fuisse constet, & auctore Dionysio *Lib. 2.* Romulus divini cultus formam instituisse memoretur. Pari ratione in universum de Legibus Regiis Justinianus *Nov. 47. præf.* Romulus & Numa ille quidem civitatem ædificans, hic autem eam legibus ordinans & exornans. Longeque fidentior Isidorus & cum illo Gratianus: Numa Pompilius, qui Romulo successit in regno, & primus leges Romanas edidit; Neque desunt ex antiquioribus, quibus placuere similia. Verum hæc non nisi cum comparatione dicta & intelligi debere ex bonis auctoribus probat Schubartus, ut qui conclu-

dant nullas plane conditas a Romulo fuisse leges, fere, cum his titubent, qui medio soli manum obtendunt, interdiu noctem cum imperitis habituri. Instituisse igitur dicitur Numa, non quia primus instituit, sed quia vel scriptis comprehendi, vel, ut erat Numa rerum divinarum interpres, explicatoris ratione instituit, quemadmodum & ea in quavis legislatione instituisse dicimur, quæ ante nos instituta, cum quadam renovatione, declarantur. Interim, ut ad confarreationem redeamus, quia jam *superius §. 3.* monitum, confarreationem non a farris communicatione, sed ex ipsis sacris legibus quibus in manum uxor convenit, & quarum Rex Romulus meminit, formam accepisse, eo minus nunc nos feriunt, quæ ex Plinio de Numæ instituto male explicato objiciuntur. Non meminit enim Lex Romuli Farris, sed *sacrarum legum*, ex quibus in manum potuit conveniri certis verbis, decem testibus præsentibus, solenni sacrificio, etiamsi primis temporibus panis farreus in eo non adhiberetur, & Numa demum, si vera fabula, farre Deos supplicare instituisset. Plane de nuptiali sacrificio, quale in confarreatione solenni fiebat, notat Varro *2. d. re rustica: Ab suillo genere pecoris immolandi initium primum sumtum videtur, cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolabantur, & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus*

porcus occiditur, & quod NVPTIARVM INITIO *antiqui Reges & sublimes viri in Hetruria* IN CONIVNCTIONE NVPTIALI, NOVA NVPTA ET NOVVS MARITVS PRIMVM PORCAM IMMOLANT, PRISCI QVOQVE LATINI *& etiam* GRÆCI IN ITALIA *idem factitasse videntur. Nam & nostræ mulieres, maxime nutrices naturam, qua fœminæ sunt, in virginibus appellant porcam, Græce* χοῖρον, *significantes esse dignum* INSIGNI NVPTIALI, & constat, porcam victimarum fuisse antiquissimam. Ovid. *fastor. I. 349.* quem sacrificandi ritum a Græcis ad Romanos manasse, viri docti colligunt. apud Pitisc. *h. v.* vid. Alex. ab Alex. *2. 5. ibique* Colerus, Brissonius. *d. Ritu Nupt.* Cujusmodi sacrificium in sacris legibus, ex quibus uxor in manum conveniebat, contineretur, an porcæ? an ovis? an frugum? ex Dionysio non constat, nisi quod ovis in confarreatione Flaminis meminerit Servius, qualecunque autem fuerit, si Numa primus farre tosto, h. e. mola salsa supplicare instituit, sacrificium ante Numam sine mola salsa constitit, & sic ipsa conventio in manum ex sacris legibus solenni sacrificio facto, quæ succedentibus temporibus a farre nomen sumsit. Ceterum quod de raptu simulato affert Forsterus, id neque ad nuptias confarreatas, neque ad conventionem in manum usu, ad quam retulerunt Ræ-

vardus *ad LL. XII. Tab. c. 5.* & Kerckraad *de jure Patrio p.37.* pertinet, sed omnis legitimi connubii ritus, etiam in uxore tantum, quæ sine in manu conventione habebatur, raptu simulato peragebatur. Festus in v. *Rapi.* Catullus *L. XI. 3.* Apulejus *Lib. IV. d. Asino* add. Rævardus *d. l.* de conjunctione nubentium per Pontificem Maximum, Flaminem Dialem sive per mulierem velatam virginem vestalem aut Flaminicam Dialem non in confarreatione tantum, sed quibusvis nuptiis fieri solita diximus *supra §. 9.* & quamvis Numa instituerit ex patribus Pontifices Dionys. 2. & Flamines Liv. *I. 20.* Dionys. *d. L. 2.* Aurel. Victor. *c. III. n. 1.* tamen jam a Romulo curam sacrorum patribus constat esse demandatam, ut adeo ad hos sacrarum nuptiarum cura pertineret.

§. XVI.

Vidimus hactenus, 1) quæ de conventione in manum ex sacris legibus s. confarreatione ipsi veteres autores Dionysius, Plinius, Tacitus, Ulpianus, Arnobius, Servius, Boëthius, Apulejus & Glossæ veteres prodiderunt §. *1.* 2) de legibus sacratis, ex quibus in manum uxor conveniret §. *2.* 3) de lege Romuli & Numæ minus recte, de quibusve legitimis nuptiis accepta §. *3.* 4) de usu farris in quibusvis sacrificiis, & de factis sacrificiis in quibusve nuptiis §. *4. 5. 6.* 5) de usu farris in confarreatio-

reatione §. 7. 6) quæ de confarreationis modo & ritu ſciamus, quæque contra ignoremus. §. 8. 7) de ritibus nuptiarum etiam in nuptiis ſine in manum conventione obſervari ſolitis, ac perperam ſive confarreationi ſive coëmtioni tantum adſcriptis, tamquam eisdem propriis, nec ceteris communibus. 8) Denique de inſtituta a Romulo conventione in manum ex ſacris legibus: neceſſe nunc eſt, immorari aliquamdiu doctiſſimorum virorum divinationibus, quibus doctrinam de confarreatione involverunt.

§. XVII.

Commenta de confarreatione

CONFARREATIONEM & COEMTIONEM VNAM EANDEMQVE CONVENTIONIS IN MANVM SPECIEM conſtituerunt. Huberus *præl. ff. n. 2. d. R. N;* & *Digr. P. 2. Lib. 1. c. 17. n. 5.* † Coëmtionem ritum fuiſſe in confarreatis nuptiis uſitatum putavit Thomaſ. *d. Diſſ. c. 1. §. 7.* †† Confarreationem fuiſſe ſpecialem ſolennitatem, quæ præter coëmtionem in nuptiis Pontificum & Flaminum adhiberetur, atque ita in univerſum duos tantum fuiſſe modos ducendi & habenti uxores exiſtimavit Bachovius. *Vol. 2. diſp. 6. th. 5.*

Huberi

Thomaſii

Bachovii

th. 5. lit. A. ††† Nicolaus Abramus *Comm. in orat. Cic. pro M. Cœlio p.431.* censuit, unis & iisdem nuptiis confarreationis & coëmtionis ritum contineri, & inter utramque nihil esse discriminis, & confarreationem non fuisse ipsas nuptias, sed potius ritum quendam & ceremonias, quæ nuptiis jam ante per conventionem in manum contractis accederent ††††. Gregorio Tholosano *Syntagm. Lib. IX. c.5. §.32.* visum coëmtionem in locum farris successisse, adeoque omissam tandem in nuptiis, quæ per confarreationem fierent, solennitatem farris adjiciendi, & subrogatam in ejus locum fuisse coëmtionem, retentis tamen in coëmtione ceteris confarreationis solennitatibus, vi & efficacia. Rævardus quoque *ad L. XII. tab. c. V.* ex Cic. pro Murena & Tacito contendit, confarreationem, quæ in usu fuerit ante coëmtionem, introducta coëmtione, sensim in desuetudinem abiisse. †††††. Aliter rem expedit Mercerus *ad Alex. ab Alex. 2. Genial. Dier. 5. p. 267. & 268,* nimirum florente libertate, apud Priscos Romanos coëmtionem & confarreationem unum prorsus modum constituisse, licet oppressa libertate, posteaquam increbuerit divor-

Abrami

Gregorii Tholosani

Rævardi

Merceri

vortiorum consuetudo, & Romanorum singulos piguerit, & forte etiam puduerit, toties nuptialem illam confarreationem repetere, quoties uxor ducenda esset, distinctæ fuerint, eo solo nomine, quod in coëmtione difficiliores multæ ceremoniæ negligerentur, & consulto prætermitterentur, quæ in confarreatione ob religionem servarentur, etsi tam arcta per coëmtionem, quam per confarreationem conjunctio fieret ††††††. Retuli eruditorum sententias, quas in notis dedi explicatas, ubi quas quisque suæ sententiæ rationes attulit, totidem eorum verbis recensui.

† Ulr. Huberus *dd. LL.* coëmtionem eodem modo, quo Ulp. *Fragm. IX.* confarreationem, definivit, & quod mireris, quasi rem compertam & plane inquisitam afferet, de idoneis argumentis, quibus sententiam firmaret, non circumspexit.

†† Thomasius cum *d.* §. 7. dixisset, sibi magis verosimile videri, coëmtionem ritum fuisse in confarreatis nuptiis usitatum, mox in notis lit. hh. rationes affert, quæ in eam sententiam eum impulerunt, nimirum, 1) veterum neminem confarreationem & coëmtionem, ut modos distinctos retulisse. 2) Dionysium confarreationis meminisse, non coëmtionis. 3) Idem ex Taciti & Ulpiani locis apparere. 4) Ap. Cic. non diserte confarreationis, sed coëmtionis mentionem fieri. 5) Ex Ulpiano constare, in

confarreatione etiam verba adhibita solennia fuisse. 6) Servii & Boëthii inventum esse, coëmtionem esse modum à confarreatione distinctum. 7) His forte occasionem dedisse locum Arnobii, cùm ibi legissent, nuptias fieri usu, farre, coëmtione; 8) Sed Arnobium ea de re mentem non declarasse, an far & coëmtio fuerint diversi ac distincti ritus. 9) Quodsi confarreatio & coëmtio fuerint modi distincti, non apparere causam, cur Cic. Orat. pro Flacco omiserit inter conventionis in manum species confarreationem. 10) Denique eosdem, qui confarreationi, ab aliis coëmtioni tribui ritus, prout exemplis probaverit Mercerus *ad Alex. ab Alexandro citato loco.*

††† Ratiocinationem Bachovii d. l. malui recensere ipsius verbis quam meis: *& ipse Boëthius 2. Comm. in Topic. Cic. tribus modis, inquit, uxor habetur usu, farre, coëmtione, sed meo judicio non satis accurate. Nam idem Boëthius citato loco confarreatio, inquit, solis Pontificibus conveniebat; & tamen fortassis etiam aliis sacerdotibus, & ut Mercer. ad L. XII. Tab. c. 20. confarreatio Flaminiarum fuit & Gell. XIIX. Noct. Att. 6. in fin. matresfamilias eas demum habitas fuisse, quæ in manum viri* SC. PER COEMTIONEM *convenissent. Quis autem credat, Pontificum & Flaminum uxores non fuisse matresfamilias, nec in manu virorum esse potuisse, ut suspectum mihi omnino sit,*

sit, quod jam ter citato loco Boëthius ait confarreatione non fuisse factam matremfamilias, imo falsum esse probatur ex Taciti L. IV. Annalium, ubi inter alias causas desuetæ confarreationis hanc refert, quod exiret e jure patrio, qui id flaminium adipisceretur, quæque in manum Flaminis conveniret. Et contradicit sibi Boëthius, dum ait, duas fuisse species uxorum, matresfamilias & usu, quæ autem per confarreationem nupta erat, utique usu uxor non erat. Et ergo statuam, confarreationem fuisse specialem solennitatem, quæ præter coëmtionem in nuptiis Pontificum & Flaminum fuisset adhibita, atque ita in universum duo fuerunt olim modi ducendi & habendi uxores coëmtione & usu. Per illam in manum viri conveniebat uxor, (uti perspicue errant, qui tanquam diversos modos proponunt, coëmtionem & conventionem) imaginaria intercedente venditione & mutua interrogatione.

Si recte capio Bachovium, sic duxit calculos & putavit rationes: Cum confarreatio solis Pontificibus & Flaminibus conveniret, eaque & ipsis in manum uxores convenirent, & matresfamilias fierent, matresfamiliæ vero, autore Gellio, eæ demum haberentur, quæ per coëmtionem in manum viri convenissent, sequi confarreationem esse specialem solennitatem, quæ præter coëmtionem in nuptiis Pontificum & Flaminum adhiberetur. Distinctam enim a coëmtione in manum

conventionis speciem, confarreationem ideo non potuit agnoscere, quod existimaret ex Gellio sola coëmtione matresfamilias fieri.

†††† Nicolaus Abramus *d. l.* cum nihil inter utrumque discriminis esse dixisset, sed unis iisdemque nuptiis utrumque confarreationis & coëmtionis ritum contineri: Id suadere Dionysium putat confarreationi tribuentem *conventionem in manum & jus hereditatis adeundæ*, & notat Dionysii verba: *mulierem nuptam, quæ ex sacris legibus in manum convenisset*, ex quibus intelligatur, confarreationem non fuisse ipsas nuptias, sed potius ritum quendam & ceremonias, quæ nuptiis jam ante per conventionem in manum contractis accederent. Addit Abramus ex Dionysio confarreatam filiæ loco haberi, adeoque idem confarreationi tribui, quod ad alterum coëmtionis effectum spectaret. Inde igitur se existimare, eas dici matresfamilias, quæ sive per coëmtionem sive per confarreationem nuptias contraxissent, imo potius inter utrasque nuptias discriminis nihil fuisse.

†††††. Ea, quæ in hanc sententiam disseruit Gregorius Tholosanus *d. l.* hæc sunt: *verum melius opinor, inquit, illas nuptias, quæ fiebant per farreationem, omnibus quibuscunque uti volentibus, fuisse communes, deinde tamen omissam earum solennitatem farris adjiciendi, subrogatam in ejus locum coëmtionem existimo, & ita exolevisse, retentis tamen in coëmtione ceteris*

teris confarreationi additis solennibus viqueque & effectu, quod ex collatione rituum coëmtionis, & effectu, & solennibus nuptiarum confarreationis facile est colligere, sic enim de iis loquitur Dionysius (verba Dionysii supra §. 1. apposui, ideoque hic non addo) *quæ ostendunt, matrisfamilias dignitatem & autoritatem fuisse, & in nuptiis, quæ per farreationem fiebant. Neque tempore Romuli alias justas nuptias fuisse puto, quod mihi confirmare videtur Plinius, qui in sacris, inquit, nihil religiosius confarreationis vinculo. Quibus si jungas, quæ superius attuli ex Ulpiani selectis, & farre conveniri solitum in manum mariti, intelliges, nos posse vere asserere, coëmtionem successisse in locum farris.* Hactenus Tholosanus.

Jacobus Ræyardus movetur autoritate Cic. *Orat. pro Muren.* cum ibi scriptum reperiret: *Sacra interire Majores noluisse, Jureconsultos ingenio senes ad coëmtiones faciendas, interimendorum sacrorum caussa repertos esse*, quo in loco dubium non esse Rævardus putat, quin per sacra confarreationem intellexisset, & argumento esse eadem Ciceronis, quæ sequuntur verba: *ut quia in alicujus libris exempli causa id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quæ coëmtionem facerent Cajas vocari.* Neque enim quenquam tam stolido fore ingenio, ut existimet, Ciceronem contendisse Jurisconsultorum ingenio omnia sacra esse interemta.

††††††

††††††. Argumenta Merceri adſcripſi ejusdem verbis: 1) Priſcis Romanis ſolam confarreationem fuiſſe ex inſtituto Romuli, autore Dionyſio. 2) Poſteaquam increbuerit divortiorum conſuetudo, incuria virorum fœminarumque nuptiarum ceremonias difficiliores conſulto vitatas, retentas eſſe faciliores verbis Taciti. 3) Priſcam nubendi rationem confarreationem proprio nomine, novam illam, coëmtionem diſtinctionis gratia cognominatam eſſe, idque poſt oppreſſam libertatem. 4) Ciceronem enim in Topicis duobus tantum modis dicere uxores haberi uſu & conventione in manum. 5) Coëmtionis vero apud autores priſcos nullam eſſe mentionem, ejus ſaltem, quæ diſtinctum uxoris habendi modum conſtituat. 6) In coëmtione plures ceremonias ſervatas, quæ propriæ confarreationis dicantur. Etenim (a) ut *in confarreatione* Flaminem & Flaminicam ſellis duabus jugatis ovili pelle ſuperinjecta reſediſſe ex Servio conſtet, ita in vulgata ducendæ uxoris ratione ex Feſto obſervari, in pelle lanata novam nuptam ſolitam conſidere. (b) In confarreatione per fruges & molam ſalſam conjungi notaſſe Servium, id ipſum vero in coëmtione eſſe ſervatum. (c) Plinium *XIIX. 3.* obſervare, novas nuptas dantes ad maritum præferre farreum, Feſtum vero monere, diffarreationem etiam appellari divortium, quod adhibito farreo fieret, divortium autem inter Flamines & Flaminicas nullas fuiſſe.

(d)

(d) Junctas etiam sponsorum dextras docere Senecam & Trebell. Pollionem; hoc saltem discriminis interfuisse, quod in confarreatione per Pontificem, in coëmtione per alium dextræ jungerentur. Finem non esse, Mercerus addit, si singula velit percensere, quæ coëmtionem a confarreatione suadeant non esse distinguendam.

§. XVIII.

Confarreationem & coëmtionem perperam commisceri.

Posteaquam superioribus capitibus in eo fuimus, ut probaremus, duas uxorum formas, unam earum, quæ sine in manum conventione uxores tantum haberentur, alteram earum, quæ in manum convenissent v. *c. 1.* Tres autem conventionis in manum modos confarreationem, coëmtionem & usum *c. 2. §. 5.* ne nunc quidem iis accedere possumus, qui confarreationem & coëmtionem, ea qua dixi ratione, inter se commiscuerunt. Et sane veterum nemo confarreationem & coëmtionem ut *eosdem* sive uxoris habendæ sive ut conventionis in manum modos retulit. De confarreatione *seorsim* egerunt Dionys., & apud Dionys. lex Romuli atque Numæ, Plinius, Tacitus atque Ulpianus, item Apulejus, & vetus Glossarium iis locis, quæ supra §. 5. transcripsi. De conventione seorsim vid. Cic. *orat. pro Flacco c. XXXIV.* de tribus atque distinctis uxoris habendæ modis, usu, farre, coëm-

coëmtione tractarunt Arnobius, Servius, Boëthius iis locis, quæ exhibui *c.2. §.6.* & licet universam sive confarreationis sive coëmtionis rationem Arnobius non explicaverit, hactenus tamen mentem declaravit, ut confarreationem & coëmtionem distinctos modos uxores habendi proposuerit. Ulpianum quoque constat in Institutis suis *sub tit.* quem inscripsit de HIS QVI IN MANV SVNT, ostendisse, alia ratione conveniri in manum farre, nimirum ea, qua in *Fragm. IX.* expositum, alia ratione coëmtione, nempe illa, qua, ut ex Ulpiani Institutis Boëthius *II. comm. in Topic. Cic.* retulit, coëmtionem mutuis rogationibus, an sibi paterfamilias, an sibi materfamilias esse vellet, ut in arrogatione moris erat, perfecerunt. Quamvis autem solennitatem coëmtionis, quam Boëthii fide, in Institutis suis Ulpianus posuit, exigua, quæ supersunt Ulpiani fragmenta, non referant: inde tamen non licet suspicari, Boëthium memoriæ lapsu deceptum existimasse, Ulpianum, qui de confarreatione tractasset, ibidem de coëmtione egisse. Debebat sane ex tituli ratione, quam de conventione in manum generatim inscripserat, & de coëmtione & mancipatione in conventione intervenire solita agere, de qua cum in definitione confarreationis nihil omnino addiderit, ut necesse erat, si confarreatio & coëmtio unus idemque in manum con-

conveniendi modus habendus fuit; conjectura non anceps, seorsim tractasse etiam Ulpianum de coëmtione, altero in manum conveniendi modo. Notum quoque ex Ulpiano, in confarreatione decem oportuisse adhiberi testes, in coëmtione vero fit probabile, quinque testes, ut aliàs in mancipationibus ex doctrina Ulp. *Fragm. XIX. 3.*, Caji apud Boëth. *comm. III. in top. Cic.* suffecisse.

Praeterea confarreatione conveniebatur in manum EX SACRIS LEGIBVS sive PONTIFICIO IVRE, contra coëmtione, EX MANCIPATIONE per AES ET LIBRAM expedita, quae nihil omnino attinebat ad Pontificium jus, sed & e medio erat jure civili, argumento eorum, quae de hereditate per aes & libram sacris soluta disseruit Cic. *d. LL. c. 21.* his quidem verbis: HOC NIHIL AD PONTIFICIVM IVS ET E MEDIO EST IVRE CIVILI, VT PER ÆS ET LIBRAM *haeredes testamenti solvant.*

§. XIX.

Respondetur argumentis Thomasii, Bachovii, Abrami.

Necesse vero erit respondere nunc iis, quibus Thomasius *coëmtionem ritum in confarreatis nuptiis*, Bachovius *confarreationem solennitatem coëmtioni in nuptiis Flaminum superadditam*, Abramus *confarreationem ritum nuptiis jam ante per conventionem in manum contractis accedentem*

pro-

probare intenderunt. Equidem rationes Thomasii maximam partem ex iis, quæ *superiori* §. deducta, convelluntur. Ex verbis solennibus, quæ in confarreatione adhibebantur, colligi non potuit, confarreationem unum eundemque cum coëmtione esse in manum conveniendi modum, quodque confarreationem inter conventionis in manum species omiserit Cic. *Orat. pro Flacco 34.* ejus ratio apparet ex Tacito. *Annal. IV. 16.* quia omissa eo tempore, aut inter paucos retenta erat confarreandi assuetudo. Denique suo cuique in manum conveniendi modo confarreationi & coëmtioni fuerunt proprii & distincti ritus, non iidem, id enim Thomasio, Abramo & Tholosano omnino negamus. Quod enim IN PELLE LANATA nova nupta resideret, MOLA SALSA, ut in quovis sacrificio, item AQVA ET IGNIS adhiberentur, dextræ jungerentur, ritus sive confarreationi sive coëmtioni proprii non erant, sed ut superius probatum, *omnibus nuptiis communes*, ex quibus, ex ratiocinatione Merceri inferendum foret, ergo omnes nuptiæ, etiam sine in manum conventione sunt unæ eædemque, qua ratione duæ uxorum formæ, quas omnes agnoscunt, & nos ex bonis auctoribus adstruximus, everterentur. Argumentum Merceri a diffarreatione ductum est incongruum & inconveniens, siquidem diffar-

iffarreatio eſt diſſolutio matrimonii non cuiusvis, ſed confarreatione contracti. Præterea inaniſſimum eſt argumentum, quod Abramus & Tholoſanus ab eodem confarreationis & coëmtionis tanquam conventione in manum effectu ad ritus eosdem duxerunt, quaſi utraque unus idemque in manum conveniendi modus ſit, quod idem utriusque effectus. Eſt ſane utraque conventio in manum, ergo & utriusque idem effectus, qui eſt in manum conventionis, unde evenit, ut ea, quæ ſive coëmtione ſive confarreatione in manum convenit, jus ſui heredis conſequatur, & viro materfamilias fiat, quod Abramus & Tholoſanus urgent, iisque concedendum eſt. Sed alio modo confarreatione, iterum alio modo coëmtione, & rurſus alio modo uſu licet eodem effectu in manum convenitur. Sic adoptio & arrogatio utraque eſt genus tranſitus in alienam, fit diverſo modo, ſed eodem patriæ poteſtatis effectu. A Bachovio non uno modo erratum in his, quibus ſententia ejus eſt ſuffulta. Falſum enim, confarreationem ſolis Pontificibus Flaminibusque conveniſſe *v.* §. *22,* & ſuperius jam confutatum Boëthii commentum (ex Gellio enim, ad quem provocat Bachovius, nihil poteſt probari,) ſola coëmtione matremfamilias haberi. v. *c. 2. §. 5. & 7.* quibus collapſis, & ea, quæ iisdem ſuperſtructa, nuncquoque colL laba-

labascunt, & qua ratione tandem confarreatio cum Abramo ritus ceremoniasque, quæ nuptiis per conventionem in manum jam contractis accederent, possunt haberi, posteaquam Ulpianus *Fragm. IX.* & Tacitus. *Annal. IV. 16.* farre sive confarreatione in manum conveniri, non confarreationem conventioni in manum accedere, prodiderunt, nec minus Servius *IV. Æneid.* docuit, conventionem in manum eo ritu perfici, quæ ad farreatas nuptias pertineret, vid. quæ deduximus *c. 2. §. 5.*

§. XX.

Respondetur Tholosano Ræivardo, Mercero.

Satis credo nunc elucescit, confarreationem & coëmtionem esse distinctos, non unos eosdemque in manum conveniendi modos. Jam nobis cum Tholosano, Rævardo & Mercero res erit, qui coëmtionem in confarreationis locum successisse, diversimode existimarunt, & alia atque alia ratione probatum dare elaborarunt. Dicam primo loco, quod res est, & quid statuendum nobis videatur. Romuli ætate conventio in manum VNA & SIMPLEX fuit, nimirum illa, quæ EX SACRIS LEGIBVS fiebat, & a communicatione farris CONFARREATIO appellabatur. Neque enim alterius, quæ sacrorum & bonorum particeps esset, meminerunt lex Romuli, & cum illam exponeret, Dio-

Dionyſ., quam ejus, quæ ex ſacris legibus in manum conveniſſet, ut hactenus verum ſit, quod animadverſum a viris doctis Gregor. Tholoſ., Ræyardo Conano, Mercero, & Lipſio *ad Tac. IV. ibid*, confarreationem fuiſſe primum antiquiſſimum & ſolum in manum conveniendi modum. Succedentibus temporibus non quidem in locum confarreationis ſucceſſerunt, ſed *ſupervenerunt* alii duo conventionis in manum modi *ii, qui a Cic. pro Flacco memorantur ſc. coëmtio & uſus*, ritu a confarreatione diſtincti, ſed effectu eodem. Quod quo tempore factum ſit, quanquam ignoramus, licet tamen ſuſpicari, quemadmodum in liberorum adoptionibus & emancipationibus imaginariæ mancipationes prudentum cautionibus inductæ. vid. Gravina. d. *O. I. p. 172.* ita in conventione in manum uxorum, ſimili ratione easdem mancipationes admiſſas. Neque minus uſucapionem *L. XII.* in uxoribus, ut in rebus mancipi, annuo uſu conſtitutam: ſucceſſiſſe in locum confarreationis coëmtionem dici non poteſt, quoniam confarreatio etiam, cum uxores coëmtione in manum convenirent, ſemper conſtitit non ſolum Auguſti tempore, qui in confarreatione quædam ex horrida antiquitate ad præſentem uſum flexerat, ſed etiam Tiberii ætate, utpote qui ex SC. nihil in nuptiis flaminum de confarreandi inſtituto de-

L 2 mu-

mutandum censuerat, immo adhuc, ut videtur, Ulpiani temporibus, cum illum tanquam modum, quo in manum convenitur, retulit; adeoque verum non est, quod Conanus *VIII. comm. 3.* tradidit, hoc matrimonii genus non ita multo in usu fuisse. Fuit tamen Ciceronis ætate non ea, quæ olim confarreatarum nuptiarum copia, sed confarreandi adsvetudo, auctore Tacito, omissa, *aut inter paucos retenta*, ex incuria fœminarum, ipsius ceremoniæ difficultate, & quod exiret de jure patrio, qui id Flaminium adipisceretur, quæq; in manum Flaminis conveniret, ut ideo Cicero, cum conventionis in manum modos coëmtionem & usum significaret, confarreationis, sive omissæ sive potius inter paucos retentæ, nullam illo loco duxerit esse habendam rationem.

§. XXI.

Continuatio argumenti.

Asseruit ex suo ingenio Tholosanus, non ex optimorum autorum fide, & sine idoneis rationibus, farris adjiciendi solennitatem omissam esse, & subrogatam in ejus locum coëmtionem, retentis ceteris confarreationis solennibus. De solenni confarreationis sacrificio adhuc sua ætate inquit Ulpianus: *in quo panis quoque farreus adhibetur*. Et sane far solum quibusvis sacrificiis nuptialibus commune formam confarreationis haud constituisse, *superius*

§. 4.

4. *& seqq.* abunde probatum, & de ritibus
nfarreationis & coëmtionis non iisdem,
d plane diſtinctis, quam antevertimus dice-
§. 19. cum ad Thomaſii argumenta reſpon-
eremus. Is autem eſt plane pudendus Ræ-
ardi error, quo locum Ciceronis pro Muræ-
a in hunc ſenſum ad ſacras & farreatas nu-
tias produxit; nimirum confarreationem
ita enim ſacra interpretatur) majores inter-
re noluiſſe, JCtorum ingenio ſenes ad coëm-
iones faciendas interimendæ confarreatio-
nis cauſa repertos eſſe; animadvertit Abra-
mus a Kerckraadt, & quidem recte, id inde
non conſtare; de coëmtione conventionis in
manum modo, quamvis & illud Paulus Manu-
tius & Hotomannus, ſed alia plane ratione, ac
Rævardus exiſtimaverint, eo loco Cicero non
egit, ſed de ſacris privatis, quæ nunquam in-
terire, ſed perpetuo cum hereditate & majori
parte bonorum quocunque etiam transirent,
conjuncta eſſe voluerunt; de his ſacris priva-
tis Cic. JCtorum ingenio ſenes ad coëmtio-
nes faciendas interimendorum ſacrorum
cauſa repertos eſſe. Licet de his ſenibus,
quales fuerint, & de ratione hujus coëmtionis
a ſenibus interimendorum ſacrorum cauſa
facta adhuc inter viros doctos controverta-
tur v. *cap. 3. §. 20. ſeqq.*

Mercero non negamus, priſcis Romanis
ex inſtituto Romuli unum & ſimplicem fuiſ-

se in manum conveniendi modum, puta confarreationem ex sacratis legibus; negamus autem, florente libertate confarreationem & coëmtionem unum constituisse in manum conveniendi modum. Eo tempore, quo nondum supervenerat coëmtio, non potest dici; cum confarreatione unum in manum conveniendi modum constituisse, cum omnino non esset. Postquam vero confarreationi supervenit, quod factum republica libera, cum Cic. jam ejus meminerit Orat. *pro Flacco c. 34.* fuit atque mansit alius atque confarreatio in manum conveniendi modus, diverso ritu, eodem in manum conventionis effectu, cum florente tum oppressa libertate. Fuit in confarreatione difficultas ceremoniarum, in coëmtione vero mancipatio, quid autem inde potuit evinci? Coëmtio Jureconsultorum ingenio adinventa an supervenerit, postquam divortiorum consvetudo increbuerat, sine fide ac veterum auctoritate, certo affirmari non potest, nec quicquam ad illud facit, quod sibi probandum Mercerus sumserat; priscam & antiquissimam non nubendi, sed in manum conveniendi rationem, confarreationem nominatam, verum est, novam autem coëmtionem cognominatam, & quidem oppressa libertate, qua veterum fide asseritur? jam libera Republica fuit, & appellatur a Cicerone, coëmtio nominatur seorsim, & non, quæ

ıæ eundem cum confarreatione modum
›nſtituat. Significavit Cicero duas uxo-
ım formas, unam earum, quæ in manum
›nvenerunt, alteram earum, quæ uxores
ntum fuerunt. Sed qua ratione inde ſen-
ntia Merceri potuit confirmari, cum & ſic
ıidem poſitis duabus uxorum formis, con-
ent tres in manum conveniendi modi. De
tibus confarreationi propriis & quibusvis
uptiis communibus §. *8. 9. 10. 11. & 19.* abunde
ictum.

§. XXII.

Confarreatio ſolis Pontificibus haud convenit.

Exagitatur & alia circa con-
ırreationem a viris doctis quæ-
:io, nempe an confarreatio ſo-
s Pontificibus & Flaminibus
ropria fuerit, an omni populo Romano
ommunis? Confarreationem ſolis Pontifi-
ibus conveniſſe Boëthius *in Top. Cic. Lib. 2.*
locuit, eumque ſecuti Alex. ab Alex. *II. Ge-*
ial. dier. 5., Dalechampius *in Plin. XIIX. 3.*
Bachovius *Vol. 2. diſp. VI. th. 5. lit. A.* Charon-
las *ad Ulp. Fragm. IX.* Janus a Coſta *ad. pr. J.*
l. nupt., Hotomannus in *v. uxor.* Conanus
VIII. Comm. 3. Alciatus *ad L. 46. d. V. S.*, An-
:onius Gvib. Coſtanus *comm. d. matr. p. m.*
77., Budæus *notis prior. ad ff. p. 103.* Petrus
Taffinus *d. anno ſecular. P. I. c. 17. n. 4.*, Be-
roaldus *in locum Apul. L. 10. d. Aſino.* Sed ex
ſacris legibus ſive confarreatione uxores non

 ſolis

ſolis Pontificibus & Flaminibus, ſed & aliis in manum conveniſſe, ex Dionyſii loco, quem §. *1.* tranſcripſimus, manifeſtum eſt. Loquitur lex Romuli apud Dionyſ. non de Pontificibus & Flaminibus, ſed de quavis *muliere* nupta, de quovis marito, MVLIER NVPTA, ait, QVÆ EX SACRATIS LEGIBVS IN MARITI MANVM CONVENIT. Nec aliter in lege Numæ apud Dionyſ. habetur. Conſtat quoque ex Tacito *IV. Annal.* in flaminibus dialibus legendis tres nominari ſolitos Patricios, confarreatis parentibus genitos, ex quibus vetuſto more unus legeretur. Parentes confarreatos vero non Flamines ſemper fuiſſe demonſtrari poteſt a patre Julii Cæſaris Dictatoris, qui teſte Plinio *VII. 53*, Prætor & Prætura perfunctus morte repentina obiit. Fuiſſe autem Cæſaris parentes confarreatos, inde evincitur: Quod flaminem Dialem illum deſtinatum memoret Svetonius *Julio Cæſare c. 1.* qualis vetuſto more nominari non potuit, niſi confarreatis nuptiis eſſet procreatus. Quapropter Boëthio contra veterum autorum fidem aſſerenti, confarreationem ſolis pontificibus conveniſſe, id recte negarunt, & in manum conveniendi modum univerſis Romanis communem agnoverunt Tiraquellus *ad Alex. VI. Gen. dier. 5.*, Tholoſanus Syntagm. *Lib. IX. c. 5. §. 32.*, Alexandr. *ad Caji Inſt. Lib. 2. tit. 8.*, Briſſo-

Brissonius *de Ritu nupt.* Petrus Faber *2. Semestr.* Mercerus *ad Alex. d. l.* Bosius *diss. 2. d. Pontif. Max. c. VI. §. 8.* Scio esse, qui verba Boëthii, confarreatio solis Pontificibus conveniebat, sic interpretantur, ex Servio, confarreatio per solos Pontifices peragebatur, Rævard. *ad L. XII. tab. c. 5.* Sed verba Boëthii in alienum sensum sic detorqueri, quis non videt? Posset nullo negotio emendari, in eum modum Boëthius: Confarreatio *sola* Pontificibus conveniebat, & nisi id voluit significare Boëthius, probabile est, eum cum legisset, solam confarreationem Pontificibus & Flaminibus convenire, & illa tantum, non coëmtione & usu in manum conveniri debuisse Flaminicam, errore lapsum existimasse, solis Pontificibus convenire. Hoc enim moris apud veteres fuisse Flamini & Flaminicæ, ut per farreationem nec aliter in nuptias venerint. Docet Serv. *IV. Æneid.* & confirmat Tacitus *IV. Annal. 16.* licet confarreatio, post tempora Tiberii, in Flaminica Diali, sacrorum tantum causa in potestate Flaminis, cetera in posterum primiscuo fœminarum jure, agente, viribus & effectibus conventionis in manum, quæ illam consequebantur, destitueretur.

§. XXIII.

Ex Confarreatione nati

Deduximus integro *c. 3.* conventionis in manum, licet di-

Patrimi, Matrimi.

verso modo puta confarreatione, coëmtione & usu fieret, eosdem tamen esse effectus, eo capite copiose explicatos. Peculiare tamen confarreationi, nec cum coëmtione nec usu commune, si, quod docet Servius *I. Georg.* ex confarreatis patrimos & matrimos nasci, *Patrimi* & *matrimi* sunt, qui patrem & matrem adhuc vivos habent. Audi Festum in voce *Flaminia*: *Flaminia dicitur Sacerdotula, quæ Flaminicæ Diali præministrabat*, EAQVE PATRIMES ET MATRIMES I. E. PATREM MATREMQVE ADHVC VIVOS HABEBAT: & in voce *Matrimes*: MATRIMES AC PATRIMES *dicuntur*, *quibus* MATRES AC PATRES ADHVC VIVVNT, & in voce *Pater patrimus*: PATER PATRIMVS *dicebatur*, *qui cum jam ipse pater esset*, HABEBAT ETIAM TVM PATREM, quam significationem auctoritate Festi Tiraquellus *ad Alex. ab Alexandro.* Oisel. *in Gellium I. 12.* probarunt. Contra vir illustris Thomasius *Diss. d. usu pract. Inst. d. nupt. c. 1. §. 6. lit. p. 21.* se mirari, inquit, quod lexicographi hunc singnificatum patrimis & matrimis imposuerint, & frustra Colerum ad Festum provocare, quia in Festo de hoc significatu nihil, neque satisfacere, quæ pro lexicographorum sententia defendenda adduxerit Pithoeus, cum & ipse falso præsupponat, eam explicationem niti auctoritate Festi.

sti. Sed apposui modo verba Festi, quibus ea significatio patrimorum & matrimorum subnixa, quæ omnem dubitationem tollunt, ut mireris, virum illustrem sine causa in lexicographos injuriosum, hæc in Festo non animadvertisse. Interim Servium, qui patrimos & matrimos ex confarreatis parentibus natos significaverat, eum in modum cum Festo conciliat Puteanus *apud Pithoeum collat. LL. M. & R. tit. XVI*, ut omnes matrimos & patrimos dictos putet, *qui parentes adhuc* VIVOS *haberent, eosque præterea* CONFARREATOS vivos, boni ominis causa, confarreatos propter auctoritatem sacrorum. Petro Pithoeo *d. l.* sic visum, verisimile esse, vetusto more non alios quidem, quam confarreatis parentibus natos, legi solitos. Sed post omissam confarreandi adsvetudinem (quod Tacitus jam ante Tempore accidisse significat) recte ejus ætatis posteriores scriptores ex usu & proprietate verborum, quæ confarreationis nihil haberent, eos patrimos matrimosque interpretatos esse, qui modo patrem matremque adhuc vivos haberent, quem & sic patrem patrimum olim dictum, qui cum jam ipse pater esset, haberet etiam tum patrem. Sane quodsi vera sunt, quæ Serv. *I. Georg.* docuit, ex confarreatis nuptiis patrimos & matrimos nasci, significatio patrimorum, quam Servius proposuit, cum illa, quam Festus explicavit,

con-

conjungi vix poteſt, ut patrimi exiſtimentur confarreatis nuptiis nati, & ſimul quorum parentes adhuc vivunt. Equidem Tacitus *IV. Annal. 16.* Flamines Diales confarreatis parentibus genitos legi ſolitos indicavit, ſed eos patrimos & matrimos fuiſſe non addidit. Neque olim nec Taciti ætate neceſſum fuiſſe, ut qui Flamines Diales inaugurarentur, patrimi & matrimi eſſent, eo ſenſu, quo Feſtus deſignavit eos, quorum patres & matres adhuc vivebant, vel inde apparet, quod autore eodem Tacito *d. l.* Filius Servi Malugenenſis in locum patris defuncti, quique igitur non amplius patrimus erat, Flamen Dialis ſuffectus, item Cæſar, teſte Svetonio in Cæſare c. 1. patre jam mortuo, Flamen Dialis deſtinatus fuerit. Neque eſt, quod cum Pithoeo conjiciamus, olim ante omiſſam confarreandi conſvetudinem non alios patrimos legi ſolitos, quam quorum parentes adhuc viverent, & ſimul eſſent confarreati. Nihil enim de inſtituto Flaminum demutandum Senatus cenſuit, & ex confarreatis parentibus genitis legit ſervi Malugenenſis jam defuncti filium non patrimum. Ut adeo cum Puteano & Taffino utraque patrimorum ſignificatio apud Feſtum & Servium commode copulari non poſſit, nec Pithoei ſententia poſſit ſuſtineri. Igitur aut falſa Servii ſententia de patrimis ex confarreatis nuptiis natis, aut appel-

latio

latio patrimorum bifariam ac sensu plane diverso apud autores accepta. Interim ex Romuli instituto per patrimos & matrimos sacra peragebantur, cum sacerdotum liberos ministeria publica & debita obire juberet, sacerdotibus vero, quibus liberi nulli essent, permitteret, ut ex aliis familiis ex singulis curiis elegantissimos puerum & puellam eligerent, illum quidem ad pubertatem usque in sacris ministrum futurum, hanc vero, quamdiu in virginitate mansisset. Dionys. *L.* 2. *p. m.* 50. De his Liv. *IV. Decem ingenui*, inquit, *decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti.* Et Tacitus *IV. Ann.* 53: *deinde virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis aqua rivis & fontibus amnibusque hausta perluere.* Festus in *patrimi: Patrimi & matrimi pueri tres adhibebantur in nuptiis, unus, qui facem præferret ex spina Alba, quia noctu nubebant, duo, qui nubentem tenebant.* Virginem Vestalem capi fas non erat, nisi quæ esset patrima & matrima. Gellius *I.* 12. Flaminia Sacerdotula Flaminicæ Diali præministrans erat patrimes & matrimes. Item Flaminius Camillus puer ingenuus, qui Flamini Diali præministrabat, Festus in *Flaminia* & *Flamen Dialis*.

§. XXIV.

Quid Diffarreatio?

Confarreationi denique est contraria, *Diffarreatio*, quæ secun-

cundum Festum in *Diffarreatio*, est: *genus sacrificii, quo inter virum & mulierem fiebat dissolutio, dicta diffarreatio, quod fieret sacro libo adhibito.* Quomodo & in Glossis Isidori definitur: *Diffarreatio dissolutio inter virum & fœminam.* Exiguæ antiquitatis reliquiæ, & nulla apud probatos autores diffarreationis mentio, observante Marcello Donato *Dilucid. in Tacitum L. IV.* Neque enim præter illud, quod significarunt Festus & Glossæ Isidori, apud Romanarum rerum scriptores sive de origine diffarreationis sive dissolvendi modo per diffarreationem vel aliud quicquam proditum legimus. Ex verbo diffarreationis tamen, confarreationi opposito & sacrificii genere, quod libo adhibito fieret in hac dissolutione inter virum & uxorem, non improbabiliter viri docti collegerunt, quemadmodum confarreatione in manum conveniretur, solenni sacrificio, pane farreo adhibito, ita eandem hoc, quo dixi, sacrificii genere fuisse dissolutam, cum nihil tam naturale sit, quam quo quid colligatum modo, eodem quoque dissolvi, Rævardus *ad L. XII. c. 21.* Carolus Sigonius *de Antiquo Jure Civium Rom. cap. IX.* Pithoeus *Collat. Mosaicar. & Rom. LL. XVI. 2.* Schulting. *Jurisprud. Antej. p. 591.* Nieuport. *Comp. Ant. Rom. Sect. VI. c. 4. §. 2.* Merula *de LL. Rom. c. IV. p. 67.* Brouwer. *de Jure Connub. L. I. c. 8.*

§. XXV.

§. XXV.

An Nuptiæ Farreatæ diffarreatione diremtæ.

Equidem poterat dubitari, an nuptias confarreatas diffarreatione dirimere jus fuerit, utpote quæ autore Dionysio *L. 2.* virum & uxorem necessario conjugii inseparabilis vinculo conjungebant, ut nihil esset, quod has nuptias posset dissolvere. Accedit quod, quamvis ex definitione Festi Diffarreatio dissolutio sit inter virum & uxorem, is tamen confarreatarum nuptiarum diserte haud meminerit, & libum in quovis sacrificio a sacerdote sit imponi solitum, Ovid. *I. Fastor. vid. cap. 4. §. 5.* Verum quod a doctissimo Thomasio *d. Diss. §. 6. Lit. h.* quoque notatum, suspicari licet, succedentibus temporibus, posteaquam divortia apud Romanos increbuerunt, diffarreatione matrimonia farreata dissolvi cœpisse, imo ipse Dionysius admissam hanc tandem in confarreatis nuptiis divortiorum licentiam haud obscure videtur significasse, his verbis: *quod autem* LEX ILLA DE MVLIERIBVS LATA (loquitur de conventione in manum ex sacris legibus) *præclara fuerit, ipsa temporis diuturnitas fidem facit. Hoc enim confessum est, intra quingentos & viginti annos Romæ nullum matrimonium esse dissolutum. Sed centesima trigesima septima Olympiade M. Pomponio & C. Papirio Consulibus primus uxorem repudiasse fertur Sp. Carvilius;*

vid.

vid. Plutarchus in Romulo atque Numa. In Flaminica Diali autem omni tempore servatum est, quod eidem a viro divortere non liceret, & matrimonium Flaminis, quod confarreatione contrahi oportebat, non nisi morte dirimi jus esset. Id enim adhuc sua ætate observant Gellius *L. X. c. 15. Uxorem si amisit, Flaminio decedit, matrimonium Flaminis nisi morte dirimi jus non est:* Festus in Flammeo: *Flaminica* i. e. *Flaminis uxor, cui non licebat facere divortium.* Hinc & Ovidius *L. VI.* de Flaminica Diali:

Non tetigisse virum, quamvis Jovis ille sacerdos,
Quamvis PERPETUA *sit mihi* LEGE *datus.*

Flaminio autem decebat Flamen, quod sacra ei, Flaminica absente, peragere haud licerent. v. Trogus Historicus *L. 22.* apud Priscian. *L. V. c. 1.* Plutarch. *in Rom. XLIX.* Ut adeo discedamus a doctissimo Consulto Petro Fabro *ad L. 100. ff. de R. I. p. 260.* opinante Flaminis Dialis connubium, quod ita (per confarreationem) contractum fuisset, non divortio nudo, sed diffarreatione & solenni sacrificio adhibito & Pontificum interventu dissolutum esse. Quod quidem & illi omnes cum Fabro statuere necessum habent, qui confarreationem solis Pontificibus & Flaminibus propriam fecerunt. vid. *c. 4. §. 22.*

§. XXVI.

§. XXVI.

Successio jurium circa divortia.

In universum apud Romanos divortiorum hæc fuit ratio juriumque successio 1) ex *Romuli lege*, autore Plutarcho *in Vita Romuli*, Uxori nunquam, marito vero non alias ob causas divortendi potestas fuit, quam propter venenum liberis datum, clavis subjectionem (Amiotus interpretatur falsi partus suppositionem, Xylander aliique vulgo claves adulterinas sive furti crimen) & adulterium, 2) Ex *Lege XII.* divortia quoque permissa ex Cic. *Philip. 2.* observant viri docti. vid. Cujacius *I. Obs. 39.* Verba Cicer. quæ sic restituit Hotom. *XIII. O. 39: Res suas sibi habere jussit, ex XII. Tab. Caussam addidit: claves ademit, exegit.* Sic autem legunt Ferrarius Victorius, Faernus Rævardus: Suas res sibi habere jussit ex XII. Tabulis, claves ademit, exegit. Ut verba: caussam addidit hi & alii quoque haud agnoscunt, quæ Lege XII. cauta fuerint circa divortia, an & uxori eadem permissa, quod affirmavit Barbosa ad *Rubr. ff. de soluto matrim.* negavit Brouwer *de Jure Connubiorum p. 729.* An formula divortii RES TVAS HABETO apud Cajum *L. 2. ff. d. divortiis*, & ademtio clavium in iisdem fieri solita. vid. Festus in *clavim.* Ambrosius *Ep. 65.* ex L. XII. profecta a viris doctis disputantur, & magis est, ut cum Hotomanno *d. Obs. 39.* & Gravina *de Origine Juris p. 181.* existime-

ſtimemus Formulam divortii, de qua, certisne verbis fieri oporteret, dubitatum tempore Ciceronis *de Orat. I.* atque ademtionem clavium jure conſultorum ingeniis atque cautionibus deberi.

3) In *profligata* tamen & deperdita *Republica* notum eſt, omnimodam & viris & fœminis fuiſſe divortiorum licentiam, etiam ob incertas, leviores & arbitrarias cauſas etiam inter privatos parietes. vid. Brouwer. *c. 31. n. 6.* niſi quod facto divortio, in judicio de moribus (de quo vide Quintil. *IV. Inſt. Orat. 2.* & *L. VII. c. 3. 4.* & Briſſon. *de Form. L. V. p. 445. & 446.* Charond. & Schulting. *ad Ulp. VI. 12. 13.* Ræyard. *IV. Varior. 13.* Thomaſ. *Diſſ. de Judicio Morum*) ſoleret alter alterius mores accuſare divortii culpam a ſe avertens, hoc tantum fine, ut pœnis injuſti repudii locus eſſet, de quibus Ulp. *Fragm. Tit. VI.*

4) Quamvis autem ex quibusvis cauſis fieri poſſet divortium, poſuit tamen Auguſtus hunc divortii modum, Svetonius *in Aug. c. 34.* Lege *Julia* de Adulteriis autore Ulpiano *in L. unica ff. unde vir & uxor*, & confirmante Paulo Inſcriptione *L. 9. ff. de divort.* vid. Noodt *Comm. ad ff. de Divort. p. 522*, ut Repudii libellus ſeptem civibus Romanis adhibitis mitteretur præter libertum ejus, qui divortium fecit. *L. 7. & L. 9. ff. de divortiis*, Juvena-

venalis *Satyra. VI.146.* Brouwer. *d.c.34.* Huber. *Diss. de Ritu divortior. c. VI. p. 4.* Noodt. *d. l.*

5) *Principum* tamen *Constitutiones* certas fecerunt divortii causas, & quidem Constantini in *L.1. C. Th.* de divortiis Honorii Theod. & Constantii in *L. 2. C. Th. eod.* Theod. & Valentin. in *L.8. C. Justiniani* in *L.10. L.11. §.2. Eod. Nov. 117. c. 8.* de quibus plenissime actum a Brouwero *d. c.34.* & Gerardo Noodt. *d.l.*

§. XXVII.

Ratio divortiorum in conventione in manum.

Sed revertamur ad conventionem, utpote de qua hoc loco quam maxime videtur quærendum, qua ratione in eadem divortio potuerit esse locus. Sane Lex Romulea, quæ marito ex tribus tantum causis, non æque uxori divortium permisit, de nuptiis confarreatis accipi haud debet, utpote quas fide Dionysii constat fuisse omnino indissolubiles. Et si ex recta Juris Romani Analogia hic subducamus calculos, in omni conventione in manum, nec in confarreatione, etiam admissa in eadem diffarreatione, neutri, invito altero, divortii faciundi potestas esse potuit, non uxori, quia in mancipio & potestate mariti fuit, quæ non nisi volente patre dissolvitur *§. ult. t. Quibus mod. patr. L. 31. ff. de Adopt,* vid. Cornel. van Eck *ad ff. n. 10. de*

 Adopt.

Adopt. Faber in *Jurispr. Papinianea p. 678.* non marito, cum Filiafamilias, qualis est omnis uxor, quæ in mariti manu est, emancipari invita non cogatur, Paul. *II. Sent. 25.* & quamvis circa impuberem ad rogatum videatur indicari illum invitum posse emancipari, cum causæ cognitio in hoc vertatur, an sit dignus emancipatione? & incidat adoptivus pater, si emancipaverit, in pœnam naturali patri promissam *L. 132. ff. de V. O.* respondet tamen ex Bachovio *ad πρῶτα ff. p. 262.* recte Schulting. *Jurisprud. Antej. p. 317.* silentium emancipati sufficere, quod tamen ex pudore vel metu reverentiali & iracundiæ timore originem habere potest. Sic enim inire rationem debemus, aut inauditum quoddam in republica Romana sonare, matrimonio divortio soluto patriam potestatem in uxoribus, quæ in manum convenerant, perdurasse.

Cum igitur non in matrimonium tantum, sed mariti manum uxor sive farre sive coëmtione sive usu convenisset, divortium, & in farreatis nuptiis diffarreatio non aliter fieri potuisse videtur, nisi cum bona utriusque gratia, non cum alterius ira animi, & offensa, de quo divortii genere agit Ulp. *L. 32. §. 10. de Donationibus inter virum & uxorem*, in quo volentibus & licuit allegare causam, licet necesse non haberent; quales causæ enumerantur

in

p. 181




VOTA PV
BLICA

in *L.60. §.1. L.61. L.62. eod.* vid. Tertull. *L.6. Monogamia c. ult.* Noodt *Comm. ff. d. l. p. 524.*

Sequuntur postremo loco Laurentii Begeri de Nuptiis confarreatis Observationes, quas ex ejusdem *Contemplatione Gemmarum Dactylothecæ Gorlæi p. 26. 27. 28. 29.* ita transcripsimus, ut simul *gemmam de oblatione primitiarum* atque marmor de *nuptiis*, quæ ibidem exhibet, quæque ipsi disserendi de nuptiis confarreatis causas suggesserunt, delineari curaremus.

Oblatio Primitiarum.

GEmma hæc, inquit ETASTES, mihi notabilis videtur; Quid enim si nuptiæ per confarreationem, junctis coeuntium manibus, ea exhibeantur? Nescio an assertum tueri possis, respondit DULODORUS. Et quidni? perrexit ETASTES. Annon sponsa far frugesque in altari ignibus imponit? annon sponsus affundit aquam? annon iis ad sacri solennitatem rite augendam adest tibicen, & velut Juno pronuba cum sceptro, apportans canistrum frugibus plenum? Si dubitas, consule Lipsium ad Taciti Annales Lib. IV. c. 16. Consului Lipsium, infit DULODORUS, sed nihil,

quod ad rem facere posset, inveni. Nihil? mirabundus subjecit ETASTES. Annon farre nuptias fieri dicit, cum per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem, per fruges & molam salsam conjunguntur? Annon confarreationem eo ritu ait perfici, ut aqua & igne adhibitis, duobus maximis instrumentis, natura conjuncta videatur? Id fateor, reposuit Dulodorus, quid autem hoc ad gemmam? Quid? regessit Etastes, annon fruges? annon & aqua & ignis in gemma ad oculum patent? Pateant, inquit Dulodorus, in gemma tamen nuptias confarreatas non evincunt; Cum tamen & manus junctæ sint? excepit Etastes; neque enim lævas arbitraberis, cum ceris expressæ dextræ forent, id quod sculptor observare debuisset. Res dubia est, respondit Dulodorus, mihi sane hæc manuum non tam conjunctio quam lotio videtur, quam in sacrificiis receptam ex Hesiodo in Operibus docemur:

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Neque

Neque unquam mane Jovi libato nigrum vinum
Manibus illotis, neque aliis immortalibus.

Si manus junctæ rem non conficiant, subjecit Etastes, in reliquis nescio an firmi quid pro Nuptiis confarreatis invenire possim; neque enim sellæ jugatæ ovilique pelle instratæ hic visuntur: neque velata nubentium capita, quæ tamen & ipsa, Lipsio teste, ad Nuptias confarreatas requirebantur: Nec est quod solis Pontificibus has cum Cl. Pfeiffero addicam, cum hac ratione causa aperte casurus sim, utpote quod ne minimum quidem Pontificii ornatus vestigium in gemma sit. Solis Pontificibus, reposuit Dulodorus, Nuptias confarreatas non addicerem, imo *nec sellas ovili pelle instratas de essentia earum arbitrer*, adeo ut hinc a me nihil metuendum sit: quanquam, ut verum fatear, nec in habitu aliquid nuptiale emineat; uterque enim sacrificantium discinctus est, non minus ac tibicen, id quod nos admonere potest illius Virgilii,

Unum exuta pedem vinclis in veste recincta:

Ad quem locum Servianæ Schedæ Danielis: *Solent*, inquit, *& resolutoria sacrificia ab auspicibus fieri, & ad Junonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi solutis nodis.* Junonis? excepit Etastes; At hæc in gemma indubia est. Nihil minus, respondit Dulodorus, licet enim sceptrum tale quid arguere videatur, indignum tamen foret, Dearum Deorumque Reginam canistrum frugibus plenum apportare, adeoque sacrificii ministram agere. At, inquit Etastes, præterquam Junoni resolutoria sacrificia non fiebant? Imo & aliis Diis, respondit Dulodorus, nam apud Tibullum El. V. L. I. Poëta:

Ipse ego velatus filo tunicisque solutis
Vota novem Triviæ nocte silente dedi.

Sceptrum, subjecit Etastes, mihi firmissima basis est; hoc enim nisi Deorum Reginæ non convenit. Et quis pro sceptro, reposuit Dulodorus, indubie hoc sumat? Idem sane gestat apud Gorlæum etiam in gemma 16. femina laurum adurens, quæ procul dubio rustica est, mutuaturque lucem ex illo Tibulli:

At

At laurus bona signa dedit, gaudete coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres.

Nisi fallor, inquit Etastes, caput etiam coronatum cernitur. Non aliter respondit Dulodorus, ac apud Virgilium,

Copa Syrisca caput Graja redimita mitella:

scil. feminam quandam rure fruges apportantem hanc arbitrer. Sed id ad rem parum. Præcipuum contra Nuptias confarreatas argumentum spicæ sunt. Spicæ? mirabundus iteravit Etastes. Has ego præcipuum argumentum pro confarreatione arbitrabar. Quo jure id feceris, inquit Dulodorus, ipse videris. Ad Nuptias confarreatas sane non spicæ adhibebantur, sed *farreum*, a quo & appellatio descendit. Audi Plinium: *In sacris*, inquit, *nihil religiosius* CONFARREATIONIS *vinculo erat, novæque nuptæ* FARREUM *præferebant*. Sit ita, excepit Etastes, sed dilucidandum, quid farreum sit. Farreum, regessit Dulodorus, si Festo credis, fuit libi genus ex farre factum. Dionysius Halicarnassæus ejusmodi nuptias a farris com-

munione *κοινωνία farracea* dictas autor est: a communione, inquam, id quod Rosinus & Stuckius eo intelligunt, quod conjuges eodem farre vescerentur, & victimas respergerent, quod utique in crudis frugibus credibile non est. Ulpianus rem clarius docet: *Farre*, inquit, *convenitur in manum certis verbis & testibus decem præsentibus, & solenni sacrificio facto, in quo* PANIS FARREUS *adhibetur.* En! panem farreum nominat, non spicas, quales in gemma visuntur, adeo ut ex omnibus hactenus dictis luce meridiana clarius sit, non confarreationem hic adumbrari, sed omnino frugum primitias offerri, non minus ac numero 101. & 209. De frugum primitiis, inquit Etastes, res obscura non est, constat enim ex Porphyrio Lib. de Abstinentia 4. etiam priscis Atheniensibus id sacrificii genus in usu fuisse; & de more Romano est Tibulli versus:

Illa Deo sciet agricolæ pro vitibus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem?

Ego autem de nuptiis confarreatis plenius in-

informari cupio. An harum inter Antiquitatis reliquias nulla proſtat imago? Me judice proſtat, reſpondit Dulodorus, & quidem in ſequenti marmore. Marmor hoc, ſubjecit Etaſtes, a Sancto *Bartolo inter Admiranda Romanorum* delineatum vidi, meminique a Celeberrimo Bellorio eſſe illuſtratum; ſed ille, licet de nuptiis fateatur, de Nuptiis confarreatis tamen ne verbum quidem habet. Et quî poſſet, reſpondit Dulodorus, cum in manu ſponſæ turturem crederet, quem & Sanct. Bartolus delineavit? An res aliter ſe habet? interrogavit Etaſtes. Habet, regeſſit Dulodorus; *Pighius enim, ex cujus ſchedis* hoc marmor vulgamus, non turturem, ſed FARREUM *in manu ſponſæ delineavit, aperto argumento, nuptias confarreatas* in marmore exhiberi. Pighius, inquit Etaſtes, marmor mutilum dedit, at Sanctus Bartolus dedit integrum. Quid inde colligas, ſi non majorem Bartolo quam Pighio fidem eſſe habendam? Imo contra, reſpondit Dulodorus. Bartolus Pighio poſterior fuit, cumque marmor jam Pighii ætate mutilum fuerit, quomodo potuit

tuit a Bartolo integrum delineari? Annon hinc patet, Bartolum fragmenta supplevisse, adeoque fidem ejus Pighio inferiorem esse? Solennem nuptiarum hic ritum adumbrari, inquit Etastes, negare non ausim. Sponsus & sponsa invicem dextras jungunt, hæc flammeo velata, ille capite detecto: Pronuba Juno utrumque amplexa connubio jungit stabili: adest Hymenæus seu Puer genialis præferens facem. Ad aram *sponsus velato capite* sacrificat, *sponsa* autem *capite detecto* visitur, adduciturque *ad aram ovis*: sequitur *mulier cum serto*, quo postes ornabant, inde *nuncius* volumen nuptialis carminis tenet, *ultimaque* est *Concordia* sive Cybele, cujus vim generationi inesse credebant. Caute incedis, excepit Dulodorus. Notandum autem, Sanctum Bartolum ante aram virum sacrificantem, & e canistro flores & poma, in nuptiis spargi solita, depromentem finxisse, quod in nostro desit. Notandum, ad columnas eum Camillum cum acerra & tibicinem fecisse, qui licet eos non negemus, tamen in nostro Marmore nosci non possunt. Notandum, *figuras retro*

tro ſponſum & ſponſam a Bellorio determinatas non eſſe, quos tamen pronubos & pronubas, haud forſan ab ratione credimus. De his ſi plura deſideres, adi eruditiſſimum Pfeifferum in *Antiquitatibus Græcis L. XII. c. 13.* Non hoc me angit, infit Etaſtes. De ove, vellem audire; hanc enim non Thalasſionis tantum & lanificii fuiſſe argumentum, ſed & ſacrificio oblatam Bellorius arbitratur, cum tamen in nuptiis porcam mactare ſolenne fuerit. Id nuptiarum initio fiebat, reſpondit Dulodorus. Ita enim Varro L. II. de Re Ruſt. Nuptiarum initio antiqui Reges ac ſublimes viri in Etruria in conjunctione nuptiali nova nupta & novus maritus primum porcam immolabant. Imo ante nuptias, uti ex Jul. Polluce *L. III. Onom. c. 3. n. 4.* patet. Ἡ δὲ πρὸ γάμου θυσία, προτέλεια καὶ προγάμεια. Προτελεῖσθαι δὲ ἐγένοντο οὐ μόνον αἱ νύμφαι ἀλλὰ καὶ οἱ νύμφιοι &c. Sacrificia ante nuptias facta, προτέλεια primordia & προγάμεια, ante-nuptialia vocantur. Initiari vero non modo ſponſæ, ſed & ſponſi dicebantur. Vides Etaſta, ſacrificium porcæ ſacrificium ovis non excludere, non minus

ac

ac tauri aut vaccæ. Ut enim illam Veneri, ita taurum Jovi & Junoni, vaccam Lucinæ, Concordiæ ovem videntur obtulisse, idque secundum Senecam Tragicum in Medea, ubi chorus:

Ad Regum thalamos Numine prospero,
Qui cœlum superi, quique regunt fretum
Adsint, cum populis rite faventibus.
Primus sceptriferis colla tonantibus
Taurus celsa ferat tergore candido:
Lucinam nivei fœmina corporis
Intentata jugo placet, & asperi
Martis sanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus.
Et Cornu retinet divite Copiam,
Donetur tenera mitior hostia.

Apposite hoc, inquit Etastes, ad Concordiam in Marmore expressam. Cornu sane cum divite copia ea aperte retinet, quid autem turrita est? Corona turrita, respondit Dulodorus, Cybeles indicium est, ut recte censet Bellorius, ejus enim index est & nux pinea in cornu copiæ: neque miraberis ejusmodi conjunctionem, cum diversorum deorum insignia in signis Pantheis

theis notissima sint. De ove autem omnino est notandum, etiam in hoc pro nuptiis confarreatis argumentum latere, modo verum sit, quod Lipsius observat: *In nuptiis confarreatis sellas jugatas ovili pelle instratas fuisse, ejus ovis, quæ hostia fuerit.* Hactenus Begerus.

Sed sane in Gemma, ut recte notavit Begerus, nihil est, quod farreatas nuptias possit evincere, imo nec in marmore, in quas tamen nuptias confarreatas sibi animadvertisse visus Begerus. Desunt enim decem testes, quibus præsentibus farre in manum conveniebatur, auctore Ulp. Fr. II. de usu Farris in quovis sacrificio, & sacrificio in quibusvis nuptiis supra §. 5. & 6. habuimus & de ovili pelle sive pelle lanata, in qua quævis nupta, non ea solum, quæ farre in manum convenit, considere soleret. Vidimus §. 10. ut hæc omnino sint fallacia confarreationis argumenta. Accedit quod marmor mutilum non quidem ea parte, qua conjunctio dextrarum fit intermedia, sive virgine Vestali, sed ea, qua sacrificium peragitur, agnoscant omnes, ut hinc in manu sponsæ turturem Sanctus Bartolus, farreum Pighius, quivis ex suo ingenio, delinearet. Videant denique eruditi, quomodo ex marmoribus possint nuptiæ confarreatæ certis argumentis probari, cum harum nuptiarum forma

forma Ulpiani & Taciti fide potissimum ex certorum verborum formulis ex solennitate sacrificii, decem testium numero & quadam ceremoniarum difficultate, iisque quæ, quamvis ex horrida antiquitate ad præsentem usum Augustus flexisset, tamen jam Tiberii ætate consulto vitarentur, conficeretur; quæ quidem omnia quomodo comparata fuerint, hodie cum ignarissimis scimus. Nuptias tamen vulgatas, quas in marmore agnovit Bellorius & recte quidem, probant conjunctio dextrarum, interstite Flaminica Diali sive Vestali virgine inter dextras conjungentes; (ut in nummo Commodi & Crispinæ supra §. 9.) puer patrimus facem præferens, Festus in *Patrimi*, Tiraquellus ad *Alex. Lib. II. c. 2. p. 278.* Pitiscus in *Fax;* flammeum, quo caput obnubebat nova nupta, Festus *in voce Nuptias,* Tiraquellus ad *Alex. d. c. 2. p. m. 274.* vid. §. 10. coma tonsa sponsæ, sponsi eorumque, qui ad celebrationem adhiberentur, Juvenal. *Sat. 6.* Auson. *Eidyll. XIII. 64.* Antonius Hotomanus de *Ritu Nupt. cap. XVII.* Pitiscus *in v. Sponsus.*

§. XXVIII.

Ceterum posteaquam personas in marmore numeris designari curavimus, constitutum nunc nobis est in easdem, juxta numerorum seriem dare sive Begeri, sive nostras explanationes.

N. 1.

p. 193



Ex Id p. 193



N. 1. Est *puer patrimus* cum *face* frondibus circumvoluta, is enim in nuptiis adhiberi solebat, ut facem ex spina alba præferret autore Festo *in Patrimi* vid. Pitiscus in *Fax.* & *Nupta.* Begerus interpretatur nescio quem Hymæneum sive puerum genialem Hymæneus Deus nuptiarum habebatur Catull. *LXI. 5.* aut Carmen dicebatur nuptiale quod pueri patrimi autore eodem Catullo *LXI. 120.* nova nupta prodeunte, sublatis facibus, concinebant hunc in modum:

Jo. Hymen Hymenæe Jo.
Jo. Hymen Hymenæe.

N. 2. Est *sponsus* capite detecto & coma tonsa, tondebatur enim sponsus ut ornaretur, Juvenalis *Sat. VI. 26.*

Sponsalia nostra
Tempestate paras jamque a tonsore magistro
Pecteris

non omnino amovebantur, sed potius comebantur vid. Locus Ausonii *Eid. XIII. 64.*

Sponsus cum sponsa dextras jungit, & manu sinistra quemadmodum Aurelius in nummo tenet Tabulas nuptiales. De Tabulis cum contraherentur nuptiæ signitatis vid. Svetonius *in Claud. C. XXIX. n. 6.* Apul. *Apol. p. 512.* Juven. *Sat. II. 119.* de iisdem ruptis cum fieret divortium. vid. Tac. *Ann. XI. 30. 2.*

N. 3. *Sponsa* velata Flammeo, de quo gene-

re amiculi, quo mulieres die nuptiarum caput cooperiebant, egimus *c. 4. §. 10.*

N. 4. *Flaminica* Dialis cum Flammeo, sponsum & sponsam simili modo quo in nummo Aurelii, amplectens, per hanc enim atque vestalem virginem conjunctionem nuptiarum æque ac per Pontificem maximum factam fuisse, supra *cap. 4. §. 9.* ex nummo Spanhemii ostensum & hoc ipso marmore comprobatur. Virgo vestalis etiam esse potuit, cum & hæc fuit velata, sicut Flaminica, Festus *in Flammeum.* Sed si is, qui *n. 8.* adstat ad Aram, Flamen Dialis habendus, est hæc Flaminica Dialis. Flamini Diali enim Autore Plutarcho Flaminica Dialis in rebus sacris obeundis semper adesse debebat, nec ea absente sacra peragere illi licebat. Junonem Pronubam hic demonstrari putat Begerus, quæ utrumque amplexa, conjugio jungat stabili. Sed quamquam matrimoniis præerat Juno Virg. *Æneid. VI. v. 59.*, & dicebatur Juno juga, quod Conjuges jungeret, Festus *v. jugarius*, & Pronuba, quod nubentibus præesset, Virg. *Æneid. IV. v. 166.* Eidem etiam sacrificabatur, cum cingulo nova nupta præcingebatur, Virg. *IV. Æneid.* Festus in *cinxia.* vid. Ant. Hotom. *de Ritu nupt. c. 29.* Pitiscus in *junone cinxia*, ejus tamen interventus, quasi præsens & manifesta utrumque junxisset, in celebritate & ritu nuptiali, qui hic repræsentatur, fingi a Be-

Begero haud debuit. Pingebatur quoque juno Throno insidens, habitu regali sc. Sceptro & diademate insignis, pavonem, qui ipsi sacratus erat, juxta se habens, Serv. *ad Æneid. l. 4.* Nieuport. *Antiq. Rom. p. m. 131.* Figura Junonis placidæ ad Hortos Bellajanos in Quirinali, e Boissardi *antiq. Tom. IV. p. 28.* exhibetur. In Jani Gruteri *opere inscript. Tom. I. p. 24.*

N. 5. *Pronubam:* N. 6. & 7. *Pronubos* Begerus putat, & notat has figuras retro sponsum & sponsam, a Bellorio determinatas non esse. In Personis N. 6. & 7. quæ sponso adstant coma tonsa conspicua, ut adeoque id quod Antonius Hotomannus de *veteri ritu Nuptiarum* ex Ausonio conjecit, eundem sponsi ornatum ut tonderetur, a ceteris adstantibus etiam observatum fuisse, præsertim ab iis, qui ad celebrationem nuptiarum adhiberentur, ex hoc marmore non confirmetur solum, sed illustretur etiam is, quem hic adscripsi, Ausonii locus *Eidyll. XIII. 64.*

Et juvenes quatuor totidem innuptæque puellæ
Omnibus in morem tonsa coma: pectine summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

N. 8. Flaminem Dialem conjeceris cum Flammeo velatûm quod manu sinistra tenet, hunc enim assiduo velatum esse debuisse, &

 ma-

maxime cum rem divinam faceret *c. V. §. 10.* ex bonis autoribus probatum est, apparet etiam sub Flammeo coma tonsa. vid. Figura apud Solerium *p. 251.* Tonsores plerumque servi erant Ulp. *L. 12. §. 6. de Instr. vel instr. leg.* sed capillum Dialis, nisi qui liber homo erat, non detondebat Gell. *X. 15.* manus dextra in Marmore est non amplius integra sed mutila. Quodsi autem Flaminem Dialem ideo non agnoscas, quod pileum, quo semper utebantur Flamines, in capite non habeat Dionys. *L. 2. c. 65.* Plutarchus *in Numa*, Serv. *ad Æneid. Lib. VIII.* potuit alius esse sacerdos, quamvis & ipsi Flamini sub tecto existenti liberum fuerit pileum deponere Gell. *X. 15.* Solerius *de pileo p. 237.* ubi *p. 238.* figura Pilei Flaminis, & *p. 232.* figura Pilei Flaminis Dialis exhibetur. Begerus putat Sponsum esse ad Aram sacrificantem.

N. 9. *Popa* sive *Victimarius* sive *cultrarius*, qui erat laureatus semique nudus, & victimas ad aras adducebat Propert. *IV. I. 62.* Sveton. *Calig. XXXII. n. 8.* Ovid. *Fastor. I. 319.* picturam victimariorum in Trajani columna extare notat Pitiscus v. *Victimarii* vid. P. Merula *de sacerd. Roman. c. IV. n. 7. & 8.*

N. 10. Huic *caput deest*, ut non possis agnoscere.

N. 11. *Puella* forte sacris ministrans.

N. 12. Haud scio an *Anclabris* sive *Mensa* ex

ex qua dies Anclabatur. Festus in v. *Anclabris*. vid. Guther. *de veteri jure pontif.* III. 6.

N. 13. *Puella* sacris præministrans, Sponsam censet Begerus, quæ Farreum in manu teneat.

N. 14. *Mulier cum serto*, Begerus.

N. 15. *Nuncius* volumen carminis nuptialis manu sinistra tenens, Beger.

N. 16. *Concordia* sive Cybele, Beger.

CAP. V.

DE CONVENTIONE IN MANVM COEMTIONE.

§. I.

Autores qui coëmtionis meminerunt aut meminisse putantur.

Coëmtione uxores in manum convenisse, agnoscunt viri docti, & superius *c. 2. §. 5.* probatum. Equidem conventionis in manum generatim multa, & frequens apud scriptores rerum Romanarum, & juris auctores mentio, rara coëmtionis, speciatim ejus, quæ erat in manum conveniendi modus. Et sane ausim affirmare, si a Cicerone *orat. pro Flacco c. 34.* Festo, Arnobio, Servio, Boëthio, Isidoro discessero, neminem veterum scriptorum, nec Ciceronem

nem alibi, quam eo solo, quem indicavi, loco, *coëmtionis*, & *mancipationis* sive coëmendi moris, tanquam in manum conveniendi modi, *nominatim* meminisse. Quæ enim â Servio eò referuntur loca, & â viris doctis eam in rem afferuntur ex Cic. *d. Oratore I. 56*, Oratione *pro Murena c. XII.*, ex Varrone apud Nonium Marcellum, & a Tiraquello, ex Gregorio Nazianzeno, Euripide, Stobæo, Chrysostomo, & ex Inscriptione Patavina, & de Caji & Cajæ appellationibus, in sacris nuptialibus usurpari solitis, ex Plutarcho, Plinio, Quintiliano, auctore *de nominibus ap. Valer. Max. lib. X.* atque Festo; aut ad coëmtionem, de qua hic agitur, nihil videntur attinuisse, aut certe dubia suspectaque debent haberi. Imo qui coëmtionis formam attigerunt, Servius atque Isidorus, non recte videntur constituisse, nec dubio carent, quæ de formula coëmtionis rogationibus perfecta ex Ulpiano Boëthius, & Servii commentaria proposuerunt. Dabimus veterum auctorum loca, ut omnia in conspectu sint, eoque facile possit recurri, quotquot vulgo de coëmtione proferuntur hic descripta. Locus Cic. *pro Flacco c. 34.* plane insignis ac capitalis, qui eo magis meretur notari, cum in manum conveniendi modos, puta coëmtionem & usum, indicavit: Verba Ciceronis: *At enim Androni Sextilio gravis injuria facta est, & non ferenda, quod cum*

cum esset uxor ejus Valeria intestato mortua, sic egit eam rem Flaccus, quasi ad ipsum hæreditas pertineret. In quo quid reprehendas, scire cupio, quod falsum intenderit? qui doces? Ingenua, inquit, fuit, o peritum Juris hominem! quid ab ingenuis mulieribus hæreditates lege non veniunt, IN MANVM, *inquit,* CONVENERAT. *Nunc audio. Sed quæro* VSV *an* COEMTIONE? VSV *non potuit: nihil enim potest tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui.* COEMTIONE? *omnibus ergo auctoribus, in quibus Flaccum fuisse non dices.* Atque ad hanc ipsam coëmtionem tanquam in manum conveniendi modum etiam Ciceronem putant respexisse *l. d. Orator. 56,* cujus hæc sunt verba: *quod vero impudentiam admiratus es eorum patronorum, qui aut, cum parva nescirent, magna profiterentur, aut ea, quæ maxima essent in jure civili, tractare auderent in causis, cum ea nescirent nunquamque didicissent. Ultriusque rei facilis est & promta defensio. Nam neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coëmtio fiat, nesciat, eundem ejus mulieris, quæ* COEMTIONEM FECERIT, *causam defendere posse.* Et oratione pro *Muræna c. 12.* verba Ciceronis: *Nam cum permulta præclare legibus essent constituta, ea Jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta, & depravata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate*

esse voluerunt, hi invenerunt genera Tutorum, quæ potestate mulierum continerentur. Sacra illi interire noluerunt: horum ingenio senes AD COEMTIONES FACIENDAS, *interimendorum sacrorum causa reperti. In omni denique jure civili æquitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt, ut quia in alicujus libris, exempli causa, id nomen invenerant, putarunt, omnes* MULIERES, QUÆ COEMTIONEM FACERENT, CAIAS VOCARI. Ciceroni addo Festum in *Remancipata*, qui mancipationis in remancipatione uxorum, quæ in manum convenerant, mentionem fecit. Verba Festi: REMANCIPATAM *Gallus Ælius esse voluit, quæ* MANCIPATA *sit ab eo, cui in manum convenerit.*

§. II.

Loca Virgilii, Arnobii, Servii, Boëthii, Isidori, Nonii.

Vidimus, quæ ex Cicerone & Festo huc protrahuntur. Servius Grammaticus quosdam quoque Virgilii versus notavit, in quibus coëmtionis ritum sibi visus animadvertisse, & quidem *I. Georg. v. 31.*

Teque sibi generum Tethis EMAT *omnibus undis*

IV. Æneid. vers.

- - *Liceat Phrygio* SERVIRE *marito,*
Dotalesque Tuæ Tyrios PERMITTERE DEXTRÆ.

Eodem-

Eodemque Lib. IV. Æneid. verſ.

Cuique loci leges dedimus connubia nostra,
Reppulit, ac Dominum Æneam in regna recepit.

Et Lib. VII. Æneid. verſ.

Rex Tibi conjugium & quæſitas ſanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quæritur hæres.

Apud Arnobium *Lib. IV. adv. Gentes*, de coëmtione nihil, niſi quod *Uſu, Farre, Coëmtione*, genialis lectuli ſacramenta Deos conduxiſſe ſcripſit, verba ſuperius *c. 2. §. 6.* transſcripſi. Equidem maxime Servius & poſt illum Boëthius fere ſoli in eo fuerunt, ut coëmtionis ſolennitatem ac formam explicatam darent.

Servii Danielis duo loca in I. Georg. ad verſ. *Teque ſibi generum* & IV. Æneid. in verba: *liceat Phrygio ſervire marito,* integra exhibui *c. 2. §. 6.* Quæ *Lib. IV. Æneid.* in verba: *dominum Æneam in regna recepit.* In Servii commentariis de coëmtionis formula notata hæc ſunt: *ut ſuperius: Phrygio ſervire marito. Et autem de jure quaſi* PER COEMTIONEM. COEMTIO *vero certis ſolennitatibus apud priſcos peragebatur, in contrahendo matrimonio &* SESE COEMENDO *invicem vir & uxor interrogabant. Vir ita,* AN MV-

MVLIER SIBI MATERFAMILIAS ESSE VELLET: *Illa respondebat* VELLE. *Item mulier interrogabat*, VTRVM VIR SIBI PATERFAMILIAS ESSE VELLET: *ille respondebat* VELLE. *Itaque mulier in viri manum conveniebat, & vocabantur hæ nuptiæ per* COEMTIONEM, *& erat mulier materfamilias, viro loco filiæ.* Sed suspicor recentiorem quendam hæc ex Boëthii commentariis in Servii commentaria ad illustrationem Virgilii intulisse. Sunt enim fere totidem Boëthii verba *in Top. Cic. 2.* supra c. 2. §. 6. jam descripta. In VII. Æneidis in verba: *quæritur heres* de coëmtione notavit idem Servius, *de jure traxit ut non generum, sed heredem diceret, nam per* COEMTIONEM *facto matrimonio sibi invicem succedebant.* Boëthius solennitatem coëmtionis, quam in suis Institutis Ulpianus exposuerat, *Libr. 2. comm. in Topic. Cic.* retulit, iisdem verbis, quæ *c. 2. §. 6.* apposuimus, & modo ex Servio *IV. Æneid.* habuimus. Isidorus *14. Originum. 24. n. 30.* meminit moris nuptiarum, quo se maritus & uxor invicem emebant, haud scio, an ejus, quo uxores maritis coëmtione in manum convenerunt: *Præcedente enim*, inquit, *in nuptiis donatione dos sequitur. Nam antiquitus* NVPTIARVM ERAT RITVS, QVOD SE MARITVS ET VXOR INVICEM EMEBANT, NE VIDERETVR ANCILLA VXOR, *sicut habe-*

habemus in jure. Inde eſt, quod præcedente donatione viri ſequitur dos uxoris. Ad coëmtionem quoque pertinere vulgo exiſtimant, quod Nonius Marcellus *c. XII. §. 50.* ex Varrone ſcriptum reliquit, de tribus asſibus, veteri lege Romana ad maritum ferri ſolitis, & uno marito emendi cauſa datis. Ait vero Nonius: *Nubentes veteri lege Romana* ASSES TREIS *ad maritum venientes ſolebant ferre, atque unum, quem in manu tenerent, tanquam* EMENDI CAVSA *marito dare: alium, quem in pede haberent, in foco Larium familiarium ponere: tertium in ſacciperio, ne cum condidiſſent, compito vicinali ſolere reſonare. Inde Virg. Georg. I. Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis, quos ritus Varro Lib. 1. de ritu populi Romani diligentiſſime percurrit.* v. Alexander *ad Caji Inſt. II. 8.*

§. III.

Loca Gregorii, Euripidis, Sophoclis, Chryſoſtomi, Inſcript. Patavina.

Andreas Tiraquellus *in IV. legem connubial. n. 8.* opinatus, ad illum morem coëmtionis in matrimoniis alluſiſſe Divum Gregorium Nazianzenum in carmine virginitatis:

VENALIS *eſt uxori maritus & (quod hoc eſt alterius)*
Sæpe numero neque bonus: & VENALIS *uxor marito*

Sæpe

Sæpe & odiosa, fabricatum malum neque rejectabile.

& Euripidem Medeam in sui nominis Tragœdia inducentem, ita loquentem:

Omnium vero, quæ sunt animata & rationem habent
Mulieres sumus miserrima planta
Quas primum quidem oportet divitiarum excessu
Maritum EMERE, *dominumque corporis*
Accipere

& Sophoclem apud Stobæum *Serm. 66.*

Ubi vero ad pubertatem hilares pervenimus,
Pellimur foras atque DIVENDIMVR,
Procul â Diis patriis & parentibus,
Aliæ quidem peregrinis viris, aliæ barbaris.

Et Chrysostomum *in Matthæum Homil. 74: Quis uxorem ducturus, quomodo puella educata sit, investigat? Nullus omnino. Sed pecunia statim & possessionum magnitudo & supellectilium quæritur. Hæc* QVASI QVICQVAM EMTVRVS ESSET, VEL PERMVTATIONEM QVANDAM FACTVRVS *diligentius perscrutatur. At ideo* συνάλλαγμα *Græce, Latine* PERMVTATIONEM NVPTIAS *appellant. Audivi enim multos dicentes: commutavit ille vel illa, i.e. conjugio copulati sunt. Ita dona dei vituperant, cum quasi* VENDENTES

TES *&* EMENTES *uxores viri ducant, & viris nubant uxores.* Denique de coëmtione & in manum conventione accipiunt Inſcriptionem lapidis Patavini, quam ſibi datam ſic conſignavit Conanus *VIII. Comm. 3.*

CONS. AVG.

PVB. CLAVD. QVÆS. AER. ANTONINAM VOLVMNIAM. VIRGINEM. VOLENT. AVSPI. E. PARENT. SVFF. COEMIT. ET IIII. FASC. IN DO. DVX.

Paulo aliter vero retulit Tiraquellus ad Alex. ab Alexand. *II. Genial. Dier. 5. p. m. 284.* COS. TIT. A. D. V. KAL. OCTOB. PVB. CLAVDIVS TVLLIAM VIRGINEM VOLENTEM AVSPICATO E PARENTIBVS COEMTI.

§. IV.

Appellatio Caji & Cajæ in nuptiis.

Poſteaquam autem apud Cic. *Orat. pro Murena* legerunt viri docti, mulieres, quæ coëmtionem feciſſent, CAIAS vocatas, eo decurrerunt, ut appellationem Caji & Cajæ in nuptialibus ſacris uſurpari ſolitam ſolennitati coëmtionis attribuerent, eoq; referrent, quæ de illo nuptiarum ritu Plutarchus, Plinius, Quintilianus, autor d. Nominibus *apud Valer. Max. Lib. X.* & Feſtus ſcripta reliquerunt. Plutarchus *Qu. Rom. 30: cur*, inquit, SPON-

SAM

SAM INTRODVCENTES DICERE IVBENT, VBI TV CAIVS, EGO CAIA? *An quia hac conditione pacta intrat, ut* PARTICEPS OMNIVM RERVM ET GVBERNANDÆ FAMILIÆ *sit? itaque hæc verba id significant,* VBI TV DOMINVS ERIS ET PATERFAMILIAS, EGO DOMINA ERO ET MATERFAMILIAS. *Nomine autem* CAII *&* CAIÆ *ut* COMMVNIBVS *usi sunt* PECVLIARITER, *quomodo Jureconsulti* CAII, *Seji, Lucii, Titii nomen* EI, DE QVO AGITVR, IMPONVNT, *& Philosophi Dionis aut Theonis voces usurpant. Aut quia* CAIA CÆCILIA *honesta fuit ac proba matrona, uxor unius ex filiis Tarquinii? Cui Cajæ in sancti templi statua priscis temporibus posita fuit, cum* SANDALIIS *&* FVSO: *quæ domi actæ vitæ industriæque sunt signa.* Plinius *VIII. Hist. Nat. 48: Lanam cum* COLO *&* FVSO *Tanaquilis, quæ eadem* CAIA CÆCILIA *vocata est, in Templo M. Anci durasse, prodente se, auctor est M. Varro, factamque ab ea stolam regiam undulatam in æde fortunæ, qua Servius Tullius fuerat usus. Inde factum, ut* NVBENTES VIRGINES COMITARETVR COLVS COMPTA, ET FVSVS CVM STAMINE. Quintilianus *Lib. I. c. 7.: Nam &* CAIVS *C. littera notatur, quæ* INVERSA *mulierem declarat, quia tam* CAIAS *vocitatas esse quam* CAIOS, *ex* NVPTIALIBVS SACRIS *appa-*

apparet. Autor *d. Nom.* vulgo Titus Probus *apud Valer. Max. Lib. IV.* in fin. *Iſta prænomina â viris tracta ſunt,* CAIA, *Lucia, Publia, Moerea. Cæterum* CAIA VSV SVPER OMNES CELEBRATA EST. *Fertur enim* CAIAM CÆCILIAM *Tarquinii Priſci Regis uxorem optimam lanificam fuiſſe, & ideo inſtitutum fuit, ut* NOVÆ NVPTÆ ANTE IANVAM MARITI INTERROGATÆ, QVÆNAM VOCARENTVR, CAIAM ESSE SE, DICERENT. Feſtus in Caja Cæcilia: CAIA CÆCILIA *eſt appellata, ut Romam venit, quæ antea Tanaquil vocitata erat, uxor Tarquinii Priſci Rom. Regis, quæ tantæ probitatis fuit,* VT ID NOMEN BONI OMINIS CAVSA FREQVENTENT NVBENTES, *quam ſummam adſeverant fuiſſe lanificam.* Vid. Rævard. *ad L. XII. c. 21.* Abraham â Kerckraadt *d. jure patrio p. 42.*, Guther. *d. jure Pontificio.*

§. V.

Coëmtionis appellationes.

Recenſui autores, eorumque adſcripſi verba, qui de coëmtione conveniendi in manum modo aut prodiderunt quicquam, aut prodidiſſe vulgo putantur, ut ad ipſa loca veterum ſtatim recurri a lectore poſſit, quoties doctorum virorum ſententiæ in doctrina de coëmtione aut comprobantur, aut refelluntur. Videamus primum ſignificationes coëmtionis, tum de ejus Forma, Ritu ac Solennitate. Neque

vero coëmtionis appellatio ſolum ad conveniendi in manum modum deducta, ſed & de quavis alia rerum coëmtione accepta fuit: v. *Hotomannus XIII. O. 35.* ideoque cavendum omnino eſt, cum *coëmtionis*, & *coëmendi* verbum & *coëmtoris* nomen, item *mulieres* atque *ſenes coëmtionem facere* audimus, ne hæc omnia ſtatim ad conventionem in manum, quæ fit per coëmtionem, referamus. *Coëmere* quo ſenſu veteres dixerint, audi Terent. *Adelph. 2. 2. 8. ajunt, te* COEMISSE *hinc, quo illuc veheres multa.* Cic. *Verr. IV. 59. quæ tum non modo non vendebant, verum etiam* COEMEBANT. Ulpianum *L. 5. §. 1. d. Inſt. Act. quem quis propoſuit* FRVMENTO COEMENDO. Pomponium *L. II. d. Negot. geſt. veluti venales, novitios* COEMENDO. Horatium *od. 29. L. 1.* COEMTOS *undique nobiles.* & *Lib. 2. od. 3.* COEMTIS *ſaltibus.* Apud Svet. *Veſp. c. 18.* cum ſcriptum eſſet: *Præſtantes Poëtas nec non & artifices* COÆ VENERIS, *item coloſſi refectorem inſigni congiario magnaque mercede donavit.* Legunt viri eruditi, Torrentinus, Caſaubonus & Marcilius, *artifices coëmit,* & interpretantur ex Feſto in emere *mercede conduxit.* Quamvis autem eam ſignificationem admittat verbum coëmendi, hic tamen legendum eſſe *artifices ſcenæ* cenſuit Gronovius. Reperitur tamen & apud Svetonium *Veſp. c. 16.* id verbum, *negotiationes,* in-

inquit, *quoque vel privato pudendas exercuit,* COEMENDO *quædam tantum, ut pluris postea distraheret.* Et apud eundem *Neron. c. 5. Perfidiæ vero tantæ, ut non modo argentarios* PRETIIS RERVM COEMTARVM, *sed & in prætura mercede palmarum aurigarios defraudaret.* Pari ratione & *coëmtionis* verbo quarumvis rerum coëmtionem significarunt. Sic Symmachus *Ep. 80. Lib. 5.* AD EQVORVM COEMTIONEM, *cum pretiis commeabunt.* Theod. *L. 2. c. d. Frument. Urb. constant. Auri statuta quantitas ad* COEMTIONEM FRVMENTI. Sic apud Ulp. *Fragm. XI.* §. *5.* dicitur COEMTOR, ubi patrem fiduciarium significari diximus. *C. 3.* §. *20.* Apud Apulej. *Apol. p. 321.* TESTIVM COEMTOR COEMTIONALES SENES memorantur apud Plaut. *Bacchid. Act. IV. Sc. 9. 52.*, Curium ad Cic. Famil. *VII. 29.*; Apud Cic. *Att. 7. 29.* est EMTIONALIS, ubi Grævius legit *coëmtionalis.* Interim Paulus Manutius in Cic. *ep. ad Fam. VII. 29.* distinguit, aliud esse *coëmere,* aliud *coëmtionem facere*, coëmere notam significationem habere, coëmtionem facere esse, cum mulier in manum viri convenit, solenni quadam stipulatione, qua se invicem coëmerent. Sed meo judicio sine auctoritate, nec sine errore. Sane ipse Manutius cum hæc distinxit, coëmendi verbum ad coëmtionem transtulit, & in inscriptione Patavina de

coëmtione & conventione in manum communiter accepta eſt, verbum *coëmit*, & de coëmtione in manum conventione. Dixerunt Serv. *I. Georg.* & Iſidorus *IV. Orig. 24. n. 30. ſeſe invicem* EMISSE: & Boëthius *in Top. Cic. 2. ſeſe* IN COEMENDO *invicem interrogaſſe*. Servius quidem *IV. Æneid. mulierem atque virum inter ſe quaſi* COEMTIONEM FECISSE ſignificavit, ſed *coëmtionem facere* de conventione in manum per coëmtionem accipi ubique haud poteſt. Etenim & *ſenes ad coëmtiones faciendas repertos* eſſe indicavit Cic. pro *Muræna 12.* non conveniendi in manum cauſa, ſed *interimendorum ſacrorum cauſa*, quod ſane nihil omnino attinebat ad conventionem in manum. Denique cum Cic. *d. orat. I. 56.* meminit *coëmtionis*, *quæ certis verbis fieret, & mulierum, quæ coëmtionem feciſſent*, iterumque *orat. pro Muræna c. XII. mulierum, quæ coëmtionem feciſſent, & Cajæ vocarentur*. Nihil omnino cauſæ, cur Ciceronem de coëmtione, qua in manum conveniretur, nec alia coëmtione ſenſiſſe exiſtimare debeamus. Quod enim de Cajæ appellatione ducitur argumentum, id nihili eſt, cum illa in quibusvis ſacris nuptialibus & nuptiis ſine conventione in manum initis adhiberi conſveverit, & Juris-Conſultis Cajæ nomen ei, de qua agitur, imponere moris ſit, teſte Plutarcho *Qu. Rom. 30.* Cajæ enim commune nomen

men

men autore Plutarcho *d. l.* & Caja usu super omnes celebrata est, teste autore *de Nom. Ration.* apud Valer. Max. *Lib. X.*

§. VI.

Coëmtio fiebat per mancipationem.

Sed excutiendum nunc eo diligentius, quænam fuerit Forma, Ritus & Solennitas Coëmtionis ejus, qua uxores viris in manum convenisse maxime ex Cic. *pro Flacco c. 34.* constat, quo magis ea in re hactenus offensum titubatumque à viris doctis. Et sane per MANCIPATIONEM expeditam fuisse multa docent. Etenim, quæ in manum convenerant uxores, dicebantur IN MANU MANCIPIOQUE, IN FAMILIA MANCIPIOQUE esse, ut superius *c. 2. §. 3. n. 5.* ex Gellio *IV. 3., XIIX. 6.* Serv. *Æneid. XI.* Nonio Marcello *V. 82.* probatum est. Et uxorem, quæ viro in manum convenerat, MANCIPATAM fuisse, ex Gallo Ælio docuit Festus *in Remancipata*, cui accedit luculentissimum Servii in Æneid. testimonium, in coëmtione LIBRAM ET ÆS adhiberi.

§. VII.

De Mancipationis Forma.

De mancipatione jam plena manu egerunt viri egregii Guil. Budæus *Notis prior. ad ff. p.m. 99. sqq.* Rævardus *ad L. XII. Tab. c. XVI.* Brissonius *de Formul. Lib. VI. p. 513.*, & *Lib. I. Select. Antiquit. c. 7.* Viglius *ad tit. J. d. testam. ord.* Aleander

der & Oisel. *ad Caji Inst. Lib. 1. Tit. 6.*, Schulting. *ad Cajum d. l.* & ad Paulum *II. Sent. 17. §. 3.* & ad Ulp. *Fragm. XIX.* Bynckershoeck. *d. Rebus Mancip. c. 1.* Abraham â Kerckraadt *d. jure patrio p. 78. sqq.* Josephus Averanius *L. 1. Interpr. juris c. 29. n. 5. sqq.* Gravina *d. Origine juris p. m. 198.* quæ omnia exsequi nimis longum, atque ab instituto alienum foret. Ut tamen mancipationi in coëmtione intervenire solitæ aliquam lucem affundamus, nonnulla de Mancipationis forma ac ritu, de obligationis nexu, ac de usu mancipationis strictim attingemus. Mancipatio quamvis passim â veteribus imaginaria venditio appelletur, Cajus *Lib. 1. Inst.* Justin. §. *1. J. de Testam. ordinandis*, contractus tamen sive emtio civilis, ut Hotom. *Comm. in ff. de contrah. Emt.* putavit, censeri non potest. Sed erat *species traditionis*, non quidem nuda ac simplex traditio, qualis erat traditio, jure gentium, sed *civilis* ac *legitima*. Emtio & venditio sola nihil habebat mancipationi simile, sed solo consensu perficiebatur, quamvis ad emtionis impletionem illa adhiberetur, nimirum ut res vendita legitime ad consequendum dominium Quiritarium traderetur. Paulus *Sent. I. 13. §. 5. & II. 17. §. 3.* quemadmodum recte animadversum ab Huberto Giphanio *ad Tit. Inst. d. Jur. Natur. Gent. & Civil. p. 17.* Bynckersh. *d. c. 1.* Schulting. *Jurispr. Antej. p. 53.* dicta autem ven-

venditio imaginaria, quod res ex titulo imaginariæ venditionis, ut eſt in formula mancipationis apud Cajum, traderetur. Mancipationis deſcriptionem habemus apud Cic. *Top. c. V. Abalienatio eſt ejus rei, quæ mancipi eſt, aut* TRADITIO ALTERI NEXV, *aut in jure ceſſio, inter quos ea jure civili fieri poſſunt.* Apud Ulp. *Fragm. XII. §. 3. Mancipatio propria ſpecies alienationis eſt, & rerum mancipi; eaque fit certis verbis, libripende & quinque teſtibus præſentibus.* Uberiorem vero eam, quam notis ex Cajo Lib. 1. J. ſervavit Boëthius *L. 3. Comm. in Topica Cic. Mancipi res,* inquit, *veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam* NEXVS *fieret* SOLENNITATEM. *Nexus vero eſt quædam juris ſolennitas, quæ fiebat eo modo, quo in Inſt. Cajus expoſuit. Ejusdem autem Caji. Lib. 1. Inſt. de nexu faciendo, hæc verba ſunt: Eſt autem mancipatio, ut ſupra quoque indicavimus, imaginaria quædam venditio, quod ipſum jus proprium Romanorum eſt civium, eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque teſtibus, Romanis civibus, puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appelletur libripens. Is qui mancipio accipit æs tenens, ita dicit:* HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO, ISQVE MIHI EMTVS EST HOC ÆRE ÆNEAQVE LIBRA. *Deinde ære percutit*

cutit libram, indeque æs dat ei, â quo mancipio accipit quasi pretii loco. Meminerunt quoque horum verborum ex formula mancipationis: HOC ÆRE ÆNEAQVE LIBRA. Varro *Lib. VIII. d. Latin. lingu.* Ovid. *Eleg. 15. Lib. 4.* Horat. *Lib. II. Ep. II. v. 158.*

§. VIII.

De Nexu autores veteres.

De NEXV, multa alia atque alia ratione tradita â viris doctis. Audiamus ipsos autores veteres. Cic. *d. Orat. III. 39. nexum*, inquit, *quod* PER LIBRAM *agitur*, & apud Festum in *nexum* Gallus Ælius: *Nexum est, ut ait Gallus Ælius,* QVODCVNQVE PER ÆS ET LIBRAM GERITVR, *idque necti dicitur, quo in genere sunt hæc testamenti factio, nexu datio, nexu liberatio.* Et apud Varronem de *Lat. lingu. Lib. VI. p. m. 58. Nexum Manilius scribit,* OMNE QVOD PER LIBRAM ET ÆS GERITVR, *in quo sint mancipi.* (legit Balduinus *in Scævola p. 75.* in quo sunt mancipia, Hotomannus *Antiqu. Rom. L. 2.* in quo sint res mancipi. Rævardus *ad L. XII. c. 16.* Kerckraad. *d. jur. patrio p. 80,* sed ita, ut in eo sint res mancipi) *Mucius Scævola,* QVÆ PER ÆS ET LIBRAM FIANT, VT OBLIGENTVR, *præterquam quæ mancipio dentur. Hoc verius esse ipsum verbum ostendit, de quo quæritur. Nam idem, quod* OBLIGATVR PER LIBRAM *neque suum sit* (legit Schulting. *ad Paul. II. Sent. 17.* NI

SVVM

SVVM SIT) inde nexum dictum. Festus in *Nexum*: NEXVM ÆS *apud antiquos dicebatur pecunia, quæ* PER NEXVM OBLIGATVR. Cic. *Orat. de Haruspicum Responsis c. 7: Multæ sunt domus in hac urbe P. C., atque haud scio, an pene cunctæ jure optimo, sed tamen jure privato, jure hæreditario, jure auctoritatis,* IVRE MANCIPI, IVRE NEXI. Idem *in Paradox. 5: ut mancipia quæ sunt facta dominorum* NEXV. Idem *famil. VII. 30. Attici te proprium esse scribis.* MANCIPIO ET NEXV. Idem Orat. *pro Muræna c. 2: quod si in iis rebus, quæ mancipi sunt, is periculum judicii præstare debet,* QVI SE NEXV OBLIGAVIT. Festus in voce *nuncupata: cum* NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, *uti lingua nuncupasset, ita jus esto, ita, uti nominarit locutusve erit, jus esto.*

§. IX.

Quid Nexus in genere?

In genere igitur nexus est, quicquid *per æs & libram* agitur, sive *nexu tradatur*, i. e. mancipetur. Cic. *in Top. 5.* Paulus *Sent. I. 13. §. 5. & II. 17. §. 3.* Festus in *Nexum*. Sive *nexu obligetur*. Varro *d. L. VI.* Festus *d. l.* Cic. *Orat. pro Muræna c. 2.* Hinc etiam â genere suo mancipatio, quod per æs & libram agitur, nexu traditio appellatur. Cic. *in Top. 5.* Bynckersh. *d. Rebus Mancip. c. 1.* & uno eodemque sensu conjunguntur nexum mancipiumque facere apud Festum

ſtum *in nuncupata*, proprium mancipio & nexu apud Cic. *Fam. VII. 30.* & mancipia dicuntur facta dominorum nexu, i. e. mancipatione apud Cic. *in Parad. 5.* ideo & mancipationem abalienationem per nexus ſolennitatem definivit Boëthius *in Top. Cic.* Et verba Caji de nexu faciendo ſunt eadem, quæ mancipationis, quomodo etiam ab ære & libra tanquam ſuo genere mancipatio deſignatur apud Horat. *Lib. 2. Ep.* in adoptione apud Svet. *c. 64.* adoptavit domi per æs & libram. In coëmtione, utpote in qua æs & libram adhiberi i. e. mancipationem fieri docet Serv. *IV. Æneid.* Sed tamen, quod antea monitum, nexus eſt genus, cujus plures ſunt ſpecies, nexu traditio, nexu obligatio, nexu liberatio, quæ in hoc uno coincidunt, quod per æs & libram gerantur. Ita rem expedit Magnus Cujacius *in Parat. C. de Uſucapione transformanda. Unde apparet*, inquit, *idem eſſe nexum & mancipationem, aut eo tantum diſtare alterum ab altero, ut genus â ſpecie - - Nexus generaliter dicitur, quæcunque ſit datio, vel obligatio, vel liberatio per æs & libram.* Qua ratione etiam Rævardus *ad L. XXII. c. 16. recte dices*, ait, *nexum, h. e. omne quod per æs & libram geritur, in quendam nexum ſpecialem & in mancipationem diſcedere.* Itaque genere quodam omnis mancipatio nexus eſt. Atque Gravina *L. d. orig. juris, p. 264.* Eſt autem nexus nomen gene-

generis, quo exprimitur, quicquid geritur per æs & libram, & per ſimulatam venditionem, quæ ad omnem dominii translationem atque ad obligationes omnes & etiam ad donationes adhibebatur, â qua ſententia nec alieni Aleand. *ad Caji Inſt. I. 6.* Kerckraadt *de jure patrio p. 80.* Paulus Merula *de LL. Rom. c. XII.*

§. X.

Nexus in ſpecie Nexu obligatio.

In ſpecie tamen, ſi recte Varronis locum *d. l. VI.* capimus, â genere ſuum proprium nomen nexus adſumſit nexu obligatio, in cujus quidem loci utpote corrupti eruenda ſententia hactenus deſudavit JCtorum & Criticorum ſchola. Pitiſcus, v. *nexus*, jus nexi explicat jus dominii oppignoratione aut alia obligatione adepti, atque ad obligationem per æs & libram nexi dationem refert, quam cum Cujacio ipſam nexi traditionem ſive mancipationem eſſe exiſtimavi. Franciſcus Balduinus *in Scævola p. 75.* locum Varronis ſingularem cenſet, qui etſi contaminatus ipſum tamen coëgerit, ut nexum in obligationibus intelligeret, ita ut ex ſententia Mutii Scavolæ quædam per æs & libram fiant, ut obligentur, non ut mancipio dentur. Rævardus ad *L. XII. d. c. 16.* eodem fere modo exponit, ut ſi nexum ut ſpeciem ſumamus, tunc ex mente Scævolæ omne quod per æs & libram geritur, præter-

O 5 quam

quam quod mancipio datur, nexus appellatione contineatur; adeoque quod per æs & libram alienatur, mancipari; quod eodem modo obligatur, necti proprie & ſpecialiter dicatur. Miror autem, quod teſtamenta per æs & libram nexu non mancipatione fieri tradat Rævardus, cum illo Kerckraad. *de jure patrio p. 80.* quæ omnino imaginaria mancipatione fieri diſerte docuit Ulpianus *Fr. XX.* §. 2. Sic quoque Hotomannus *Antiquit. Rom. L. 2. p. m. 455.* locum Varronis in hanc ſententiam interpretatus, ut Scævola nexus nomen non generaliter ad omnia, quæ per æs & libram gerantur, referat, ſed proprie ac præcipue ad obligationes ſive rerum & perſonarum, quæ ſint oppignorationes: Nam idem, verbis Varronis, quod obligetur per libram, *neque ſuum ſit*, inde nexum dictum pro *neque liberum ac ſolutum ſit.* Ita Hotomannus. Obligationem nexi, quem in modum fieri conſveviſſet, explicatum dare tentavit Sigonius *d. antiquo jure civium Romanor. c. XI.* & ex eo Pitiſcus *h. v. Manceps*, inquit, *ſtipulabatur ab altero: Dare ſpondes? & alter reſpondebat: ſpondeo, ſimulque dicis cauſa ſpondentem* ALLIGABAT *ac* NECTEBAT. Atque hæc eadem conjectura Hotomanni *d. l.* ut moris fuiſſe ſuſpicaretur, ut qui ſtipularetur, dicis cauſa promiſſorem necteret, quem deinde re accepta diſſolveret, cujus quidem conje-

cturæ

cturæ merito requirimus idoneas rationes, neque apud Festum *in manceps* est quidquam de hoc nectendi dissolvendique more. Nexu liberationis exemplum aptissimum superesse creditur apud Livium *VI.14.* ubi de Manlio, rem creditori palam populo solvente, & centurionem creditori addictum libra & ære liberante, narrat: *Centurionem nobilem judicatum pecuniæ cum duci vidisset, manum injecit, inde rem creditori palam populo solvit,* LIBRAQUE ET ÆRE LIBERATUM EMITTIT. Qui nostra ætate egregie meriti de Romana juris prudentia Cornel. van Bynckersh. *de Rebus Mancipi c. 1.* & Antonius Schulting. *ad Paul. II. Sent. 17. §. 3.* obligationem nexu ex doctrina Scævolæ apud Varronem, intelligunt *de obligatione ob evictionem*, nimirum in mancipatione, præterquam quod res mancipio daretur, mancipantem solenni formula NI SUUM ESSET, se obligasse ad evictionem. Schulting. *d. l.* & quia solennitas mancipationis auctorem mancipantem tam arctum necteret constringeretque, ut ad evictionem obligaretur, inde evenisse, ut mancipatio traditio nexu diceretur. Bynckersh. *d. l.*

§. XI.

Nexu datio
Nexu liberatio.

Sane plurima apud Romanos per æs & libram expedita, cujus universam rationem hodie exactius cognitam non habemus. Quomodo per

per æs & libram RES ſive PECVNIA OBLIGARETVR. Quid ſit NEXV DATIO, niſi de ipſa mancipatione intelligas; quid NEXV LIBERATIO, ſi fateri ingenue velimus, quod res eſt, ea omnia hodie ad liquidum ſatis perducta non ſunt, in ſtipulationibus & obligationibus interdum quid ſimile interveniſſe conjicit magnus JC. Fr. Balduinus, rationem atque modum non evolvit. Is, cui legatum plus erat, quam ſine religione capere licebat, ex prudentum cautione poterat hæredem teſtamenti ſive hereditatem per æs & libram ſolvere, quo autem modo, adhuc quærunt eruditi v. *infra* §. 9. In mancipatione mancipantem ſe nexu obligaſſe ob evictionem, & in rebus, quæ mancipi ſunt, periculum judicii præſtitiſſe, qui ſe nexu obligaſſet, ex Cicerone *pro Muræna c.* 2. & Paulo *II. Sent.* 17. §. 3. manifeſtum, & egregie, ut ſolet, deduxit Schulting. *ad. d.* §. 3. Sed haud ſcio, an locus Varronis de Obligatione nexu ob evictionem commode poſſit explicari, & an ibi ejus Formulæ, qua mancipans ſe nexu obligavit, habeamus verba. Scio locum Varronis eſſe in difficili, nec verba: PRÆTERQVAM QVÆ MANCIPIO DANTVR: NEQVE SVVM SIT eſſe omnino plana, & ab eruditis diverſimode explicari, non improbabiliter tamen viri egregii Balduinus & Rævardus aliique accipiunt de his, quæ per æs & libram fiunt, ut obli-

obligentur, NON UT MANCIPIO DENTUR, NEC SUUM SIT, ſive PROPRIUM alterius MANCIPIO & nexu. Verba enim NEQUE SUUM SIT videant viri docti, an non poſſint idem ſignificare, quod paulo ante dixerat Scævola, PRÆTERQUAM (NON) UT MANCIPIO DENTUR. Certe ſpeciatim de obligatione ob evictionem nihil apud Varronem.

§. XII.

Nexus crediti cauſa.

Erat & aliud quoque jus nexus, quo debitores poſt triginta dies, qui confeſſi æris ac debiti judicatis dabantur conquirendæ pecuniæ cauſa, niſi disſolviſſent, ad Prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant judicati, creditoribus addicebantur, nervo quoque aut compedibus vinciebantur. Gellius *XX. 1.* ubi verba Legis XII. recitat, quæ illuſtrat Hotomannus *Ant. Rom. L. 3. p. m. 436.* v. Cic. *pro Flacco c. XXI.* Liv. *VI. 14. & 34.* Jus hoc nexus ſive perſonæ captio & abductio in ſervitutem Anno Urbis conditæ 428. ob Lucii Papirii fœneratoris libidinem ſublatum narrat Livius *Lib. VIII.* ejusque auctoritatem ſecuti Junius Rabirius *de Auctionum & haſtarum origine, Tom. III. Antiq. Rom. p. 21.* & Ezechiel Spanheim. *de Orbe Romano p. 563.* Sed bene monet Grævius *Proleg. in Tom. III. Antiq. Rom.* legem poſt obſoleviſſe & deſvetudine quaſi fuiſſe antiquatam, cum

cum nexorum crediti caussa apud scriptores, qui diu post vixerunt, multa ac frequens mentio. Et de sua adhuc ætate Cæcilius apud Pellium dixerit: *addici nunc & vinciri multos videmus*. Dabant semetipsos creditori in nexum, h. e. se sponte tradebant pignori creditori Liv. *VIII. 28.* sive, quod idem, nexum inibant Liv. *VII. 19.* & liber, qui suas operas in servitute pro pecunia dabat, dum solveret, nexus vocabatur, ut ab ære obæratus. Varro *de Lingu. Lat. VI. 3.* vid. Pitiscus *in nexus*. Quid à servo differat nexus crediti caussa, ex Quintil. *V. 10.* notavit Pitiscus *in Addict.* Vid. Sigonius *d. Antiquo jure Civ. Rom. c. 6.* Gravina *d. orig. juris p. 298.* An ad id nexi genus, nexi datio, nexi liberatio apud Festum, per æs & libram expedita, referri possit, quæstionis esse potest. Nexum *crediti caussa* ab eo genere nexus, quod per æs & libram fiebat, separavit Spanheim *d. l.* Exemplum nexi liberationis, cujus meminerat Festus, apud Liv. *VI. 14.* in centurione addicto putarunt Sigonius *d. c. 6.* & Pitiscus in *nexus*, utpote quem ære & libra liberatum narravit Livius. Locum Ciceronis *pro Cæcina c. 35.* de Sulla, qui *ita civitatem ademerit, ut* NEXA *reliquerit.* Pitiscus ad jus nexus, quo debitores creditoribus addicebantur, retulit contra Spanheim. *d. l.* & Hotomannus *ad Orat. Cic. d. c. 35.* Schulting. *Jpr. Justin. p. 621.* ad traditionem nexu per æs & libram

bram sive ad jus mancipii. Sane in addictione debitorum æs & libram haud intervenisse ex Gellio ibique relatis Legis XII. verbis manifestum, addictum quoque solvendo citra voluntatem domini libertatem consecutum fuisse, ex Quint. *d. l.* discimus. Dicamus igitur ipsa solutione liberatum Centurionem apud Liv. & quidem ære & libra; eadem ratione, qua apud Cajum in *L. 4. ff. commodati* scriptum. Sæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ, ut dicis gratia numerationis loco intercedant.

§. XIII.

Mancipationis varius usus.

Erat autem mancipationis apud Romanos assiduus usus, & quidem 1) in omni ALIENATIONE RERUM MANCIPI. Ulp. *Fragm. XIX. 3.* de qua Plinius *XXXIII. 3. in his emtionibus, quæ mancipi sunt, etiam nunc libra interponitur*, nimirum cum effectu veri ex jure Quiritium dominii. Res mancipi enim alicui tradita tantum, neque tamen mancipata ei, neque in jure cessa, neque ab ipso anno possessa tantum in bonis emtoris, ex jure Quiritium autem venditoris erat Ulp. *Fragm. I. 16.* vid. Schulting. *Jpr. Antej. p. 52.* 2) IN TESTAMENTO, quod PER ÆS ET LIBRAM fiebat i. e. per MANCIPATIONEM IMAGINARIAM. Ulp. *XX. 2.* per MANCIPATIONEM i. e. imaginariam quandam venditionem §. *1. J. d. Test.*

Ord.

Ord. per EMANCIPATIONEM. Theophil. *d.* §. 1. *Eod.* per FAMILIÆ EMANCIPATIONEM. Gellius *XV.* 27. In quo teſtamento duæ res agebantur, FAMILIÆ MANCIPATIO & nuncupatio teſtamenti. Ulp. *XX.* 9. Familiæ mancipatio fiebat inter teſtatorem & familiæ emtorem. Ulp. §. 3. & verba familiæ emtoris, quorum §. 13. meminit Ulp., quæque referre ſupervacaneum duxit Theophilus, non fuerunt alia, quam quæ retulit ex Fragm. Caji Boëth. *in Top. Cic. L.* 3. nimirum: AIO HANC FAMILIAM MIHI EMTAM HOC ÆRE, HAC LIBRA. Schulting. *ad Ulp. d.* §. 13. Familiæ emtorem eundem olim fuiſſe, qui heres, poſtea cum in dominum hæreditatis inſidias comparare animadverteretur futurus hæres ſimulque familiæ emtor, alium fuiſſe familiæ emtorem, alium, quem ſeorſim in Tabulis heredem ſcriberet, narrat Theophilus, ex eoque notant Janus à Coſta & Vinnius ad *d.* §. 1. *J. de teſtam. ord.* & pluribus exſequitur Ulr. Huber. *diſp. Fund. p.* 430. Certe jam Cic. tempore ita ſervatum fuiſſe, ut alius eſſet familiæ emtor, alius heres, ex *Orat. pro Milone d. l.* colligit Huber. Quod quidem Plutarch. *Lib.* 1. *de ſera Numinis vindicta* abſurdum viſum, *Romani*, inquit, *cum teſtamenta ſcribunt, alios quidem relinquunt hæredes, aliis familiam vendunt, quod abſurdum videtur*. Qua autem ratione familia poſt mor-

tem

tem testatoris ab emtore familiæ ad hæredem pervenerit, videant alii. Censet Huberus *d.l.* familiæ emtorem hæredem repræsentasse. Gronovius *de pecunia veter.* nomine heredis emisse. Hotomannus emtorem familiæ fuisse fiduciarium, & ex formula fiduciæ, mortuo testatore, familiam hæredi remancipasse, sed illud ex Plutarcho *d. l.*, ad quem Hotom. provocat, non colligitur. Cæterum familiam rem mancipi fuisse, optima ratione, quod manciparetur, evicit Bynckersh. *de Rebus Mancipi c. 8.* nec improbabile, quod addit, earum rerum mancipationem, exemplo immobilium, symbolo fuisse repræsentatam. Testamenta hæc, quæ per familiæ mancipationem fiebant, vulgo putant â Constantino abolita *L. 15. C. de Testam.* Cujac. *ad tit. qui test. facere.* Muretus, Marcil. Giph. Rittersh. *ad §. 5. J. de Test. Ordin.* quod ad *L. 1. C. Theod. Eod.* prolixe confutat Gothofr. ratus, post Arcadii tempora, ætate Theodosii Jun. jus civile & Prætorium in testam. ordinandis in unam consonantiam coiisse, quem sequitur Schulting. *Jpr. Antej. p. 627.* 3) In EMANCIPATIONIBUS LIBERORUM Cajus *I. Inst. 6. §. 3.* Ulp. *Fr. I.* Festus in *Emancip. §. 6. t. quibus mod. jus patr. potest L. VII. c. d. Emanc.* 4) In ADOPTIONIBUS. Gellius *v. 19.* Sveton. *in Aug. L. VII. c. de Adopt.* 5) In CONVENTIONE IN MANUM, COEMTIONE, de qua

 habui-

habuimus supra §. 6. 6) In DONATIONIBUS, cum donarent manciparentque sestertio nummo uno, quemadmodum est in inscriptione Romæ in ædibus D. Octaviani Zeri apud Gruter. *p. 956. n. 4.*

Hoc monumentum L. Tiburius Sabinus Sc. Vir o. donavit L. Salvio Symphoro, Mancupavitque sestertio nummo uno.

Iterumque in alia Inscriptione Romæ in vinea Card. Carpensis apud Gruterum *p. 308. n. 9.*

H. S. N. L. donationis causa mancip.

Sic quoque Vitruvius *L. 1. c. 14. nummo sestertio mancipio dedit.* Interveniebat enim in mancipationibus sestertius unus dicis gratia, numerationis loco, quod significasse videtur Cajus *Lib. 1. d. Verb. Obl.*, in *L. 4. Commodati: Sæpe,* inquit, *etiam ad hoc commodantur pecuniæ, ut dicis gratia numerationis loco intercedant.* Inter virum & uxorem autem contemplatione donationis imaginaria venditio contrahi haud potuit, Paulus *II. Sent. 23. §. 4.* Sed tamen Justinianus verba solennia donationis, quæ fiebant per mancipationem: *Sestertii nummi unius assium quatuor* in donationibus poni solita, ut superflua censuit rejicienda, in *L. ult. c. d. Donat.* quæ omnia docte ad priorem Inscr. apud Gruter. *p. 956. n. 4.* notavit Gudius, cui adde Cujacium *X. Obs. 37.* & Josephum Averranium *I. Interpr. juris 29. n. 7.*

Brum-

Brummerum *ad Legem Cinciam c. 14.* Oiſel. & Schulting. *ad Caji Inſt. L. 1. Tit. 6. 1.* Putat Aleander *ad Caji Inſt. L. 1. Tit. 6.* etiam alios modos, quos legitimum dominium perficere docet Varro *Lib. II. d. R. R. c. 10.* v. g. emtionem ſub corona, ſectionemque bonorum, mancipationis ſolennitatem comprehendiſſe, cum, qui ſub corona emit, videatur mancipio accipere, & propterea manceps vocetur, teſte Feſto. Sed rectius negavit Budæus *notis prior. ad ff. p. 99. & 100,* cumque illo Schulting. *ad Cajum. d. Tit. 6.* Ea mancipia, quæ ſub corona aut in ſectionibus i. e. proſcriptorum hominum auctionibus venibant, mancipio non data, ſed periculo ementis accepta eſſe, Gellius *VII. 4.* Plaut. in *Perſa Act. IV. Scen. 3.*

§. XIV.

Coëmtionis Ritus.

Sed redeundi ad coëmtionem tempus eſt, ejusque indagandi ritum ac formam, & ne quid diſſimulem, ratio coëmtionis ejus, qua uxores in manum convenerunt, hodie penitus cognita non eſt, nec res difficultate caret. Conſtat, uxores autore patre, cujus in poteſtate erant, Paulus & Papin. *Coll. LL. M. & R. IV. 2. & 7.* aut tutoribus auctoribus, & quidem omnibus, Cic. *orat. pro Flacc.* in manum conveniſſe, & ſic dubium non eſt, coëmtionem, ſive patre ſive tutore auctore expeditam. Sed quis in hoc in manum

num conveniendi modo coëmtionem fecerit, utrum maritus, an uxor, an uterque, video inter viros doctos non convenire. Equidem Servius *I. Georg. ad verſ. Teque ſibi generum*, & Iſidorus *IV. Originum 24. n.30.* maritum & uxorem in coëmtione *ſe invicem emiſſe* docent, & tradit Boëthius *in Top. Cic. 2.* ex Ulpiano, maritum & uxorem ſeſe *in coëmendo invicem interrogaſſe.* Inde plerique in eam ſententiam conceſſerunt, ut *mutuis venditionibus* nec *emtione*, ſed quia alter alterum emeret, *coëmtione* hunc in manum conveniendi modum peractum eſſe exiſtimarent. Ant. Aug. *d. LL. p.* 1292. Conanus *VIII. Comm. 3.* Janus â Coſta *ad Rubr. J. d. Nupt.* Hotomannus in *v. coëmtio.* Palæotus *d. Nothis c. IV. n. 2.* Didacus Alteſerra *d. Fictionibus juris c. XI.* v. Gregor. Nazianzenus *carmine virginitatis*, Chryſoſtom. *in Matth. Homil. 74. locis §. 3. adſcriptis.* Contra Alexander ab Alex. *II. Gen. Dier. 5.* auctoritate Varronis apud Nonium *c. XII. §. 5.* putat unum aſſem uxorem marito emendi cauſa dediſſe, *quaſi imaginaria emtione ſibi ſponſum quæſiviſſet*, & dubitat ad Alexandrum *d. l.* Tiraquellus, an maritus uxorem coëmerit intra ſacra nuptialia, ſicut ſponſa maritum tum coëmeret. Et ſane ſi ea, quæ ſupra transſcripſi loca Ciceronis *l. d. Orator. 56.* & *oratione pro Muræna c. XII.* de mulieribus, quæ coëmtionem feciſſent, & Cajæ appella-

pellarentur; Virgilii *I. Georg. v. 31.* de genero, quem sibi Tethys emit; Nonii *d. c. XII.* de asse marito emendi causa dato; Euripidis de marito divitiarum excessu emto, ad coëmtionem, qua uxor viro in manum convenisset, salva juris analogia atque ratione conventionis in manum referri possent, dicendum omnino foret, *maritum fuisse in coëmtione emtum*, & uxores patre aut tutore auctore verbis Ciceronis coëmtionem fecisse. Denique alii ære ac libra uxorem coëmtam opinantur. Dionys. Gothofr. ad *Ulp. Fr. XI.* & credibile Brisson. *de Ritu Nupt.* putat, coëmtionem imaginariis venditionibus peractam ut adoptionem, quem sequitur Strauch. *diss. de jure Maritorum in Uxor. Sect. 3. §. 14.* eoque facit inscriptio Patavina, qua maritus uxorem coëmisse memoratur. Vid. Sophocles apud Stobæum *Serm. 66.* loco supra § 3. adducto.

§. XV.

An sese invicem emerint.

Monuimus *supra* §. 7. emtionem & venditionem sive coëmtionem nihil habuisse mancipationi simile, sed solo consensu perfectam, licet ad ejus impletionem mancipatio tanquam legitima traditio ad effectum consequendi dominii ex jure Quiritium adhibita fuerit. Dictum quoque §. *præc.* coëmtionis rationem hodie omnino non liquere. Coëmtione in manum uxores convenisse significavit Cicero *oratio-*

ne pro Flacco c. 34. formam & ritum coëmtionis haud exposuit, nec apud Cic. *d. Orator. I. 56.* & oratione *pro Muræna c. XII.* est quicquam ad coëmtionis tanquam conventionis in manum modum pertinens. Videtur ex verbo coëmtionis sine auctore, certe reclamantibus juris regulis intulisse Servius *I. Georg. sese invicem emisse*, nec sibi prorsus *IV. Æneid.* constat Servius, ubi non coëmisse se maritum & uxorem, sed *utrinque inter se quasi coëmtionem fecisse* scripsit: aliud enim sese invicem emere, aliud inter se utrinque coëmtionem facere. Quatenus enim emtio utriusque consensu constat & perficitur, eatenus maritus & uxor & hæc quidem, tutoribus auctoribus, contractum coëmtionis inter se perfecisse dici possunt. Neque Boëthius mutuis emtionibus & venditionibus coëmtionem peractam docuit, saltem in coëmendo se invicem interrogasse ex Ulpiano indicavit. Neque apparet idonea ratio, quo fine & effectu uxor maritum potuerit coëmisse, cum ex recta juris analogia omnino concedendum sit, solam uxorem tutoribus auctoribus mancipatam, & â marito mancipio acceptam fuisse. Sola enim uxor viro in manum convenit, inque ejus mancipio fuit: contra nunquam vir uxori in manum convenire, inque uxoris manu mancipioque esse potuit. Ideoque eruditorum sententiæ de mutuis venditionibus

mariti

mariti & uxoris, aut de emtione ſolius mariti admitti non poteſt, niſi rationem conventionis in manum omnisque inde pendentis patriæ poteſtatis effectus marito, cujus in manu uxor, aſſertos, velimus ſubvertere.

§. XVI.

In Coëmtione nullæ mutuæ emtiones.

Video mihi pauliſper excutienda eſſe ea loca, quæ *ſuperius* §. *1. 2. & 3.* adſcripſi, quibus viri docti aut mutuas in coëmtione emtiones & venditiones, aut emtionem ſolius mariti adſtruxerunt. De duobus locis Ciceronis, uno *d. Orator. I. 56.*, altero *oratione pro Muræna c. XII.* aliqua tetigi *§. 5. in fine.* Coëmtionem facere eſt coëmere, ſicuti nexum mancipiumque facere mancipare & nexu tradere. Quo pacto igitur uxor coëmtionem facere h. e. coëmere maritum, & per mancipationem ſive legitimam traditionem tanquam coëmtionis implementum mancipio accipere potuit, quam ipſam conſtat, atque omnes confitentur, per coëmtionem in viri manu mancipioque eſſe cœpiſſe? Quapropter cum juris ratio certa atque indubitata refragetur, quo minus in hoc conveniendi in manum modo mulieres coëmtionem feciſſe ſive maritos coëmiſſe exiſtimemus, neceſſe omnino eſt, ut Ciceronem dicamus de alia coëmtione atque illa, qua uxores viris in manum convenerunt, ſenſiſſe. De iis, quæ ex Virgilio *I. Georg.*

de genero, quem sibi Tethys emit; ex Nonio Marcello *c. XII. §. 50.* de tribus assibus, quos nubentes lege Romana ad maritum venientes solerent ferre, atque unum, quem in manu tenerent, tanquam emendi causa marito dare; denique quæ ex Gregorio Nazianzeno, Euripide, Sophocle & Chrysostomo, Isidoro eam in rem afferuntur, in universum sic censeo: Moris fuisse apud Romanos *in vulgata uxoris ducendæ ratione*, ut novæ nuptæ tres asses ad maritum ferre, & unum, quem in manu tenerent, marito emendi causa dare solerent, eaque omnia, quæ de tribus assibus ex Varrone scriptum reliquit Nonius, non ad modum conventionis in manum, puta coëmtionem, sed *ad ritus nuptiarum* pertinere. Loquitur enim de quibusvis nubentibus Varro, & ritu nuptiarum Isidorus, præterea EMI dici maritum, DIVENDI puellas, etiam in nuptiis sine in manum conventione initis, *improprie* tamen & *per allusionem*, quasi *dos & donatio ante nuptias similitudinem quandam referant sive emtionis venditionisque sive commutationis.* Eoque sensu dixit apud Euripidem Medea: *oportet divitiarum excessu maritum emere*, & eleganter Chrysostomus: *pecunia statim & possessionum magnitudo & supellectilium quæritur. Hæc* QVASI QVICQVAM EMTVRVS ESSET VEL PERMVTATIONEM QVANDAM FACTVRVS ERAT; *dili-*

diligentius perscrutantur, QVASI VENDENTES ET EMENTES *uxores viri ducunt;* & Isidorus: *præcedente in nuptiis donatione viri, dotem uxorum secutam, & maritum & uxorem se invicem emisse*, quæ omnia ad conventionem in manum & mancipationem per æs & libram, quæ tot & tam ingentes peperit patriæ potestatis effectus, nihil omnino attinebant. Denique nihil impedit, quo minus emendi verbum apud Virgilium *I. Georg.* pro *sumere* accipiamus: emere enim, quod nunc est mercari, antiqui accipiebant pro *sumere*, verbis Festi in *emere*. Interim inanissima sunt hæc Isidori commenta, maritum & uxorem se invicem coëmisse, ne videretur ancilla, indeque esse, ut præcedente donatione viri, sequeretur dos uxoris, quibus etiam motus Julianus Floridus *ad Apulejum Metam. V. p. 194.* ut existimaret, huic malo, ne uxores maritis tanquam ancillæ deditæ essent, ut obviam iretur, coëmtionem adhibitam inter reliqua nuptiarum solennia. Sed qua ratione uxor, sive ea, quæ in manum simul, sive quæ in matrimonium tantum convenit, marito ancilla fieri potuit? Nusquam enim apud veteres tale quicquam proditum legimus, &, si ancilla fieret, quomodo coëmtio impedire potuit, quo minus fieret? Sane uxores, quæ in manum convenerant, sive farre, coëmtione, & usu in mancipio esse cœperunt, tantum abest, ut

coëmtio effecerit, ne in mancipio essent. Sed pudet his amplius immorari nugis.

§. XVII.

Rogationes in Coëmtione.

Probavimus, in conveniendi in manum modo per coëmtionem uxores per æs & libram fuisse mancipatas, & sicut in adoptione per æs & libram evenit, in manu mancipioque Viri esse cœpisse. Addit Boëthius in *Top. Cic. Lib. 2.* eo, quem *cap. 2. §. 6.* transscripsimus, loco, Rogationis formulam in coëmtione intervenire solitam. Sese in coëmendo, inquit, invicem interrogabant. VIR ITA: AN MVLIER SIBI MATERFAMILIAS ESSE VELLET? ILLA RESPONDEBAT VELLE. ITEM MVLIER INTERROGABAT: AN VIR SIBI PATERFAMILIAS ESSE VELLET? ILLE RESPONDEBAT VELLE. Et ut eo minus de isthac rogatione dubitetur, testatur, eam solennitatem Ulpianum in institutis suis exposuisse. Sane illud accredi Boëthio omnino par est. Sed res difficultate non caret. In adoptione in specie mancipationem liberorum adhibitam constat, nec rogatione opus fuisse notat Noodt. *ad ff. d. Adopt.* quia liberi erant in potestate, quos occidere, nec minus vendere, & mancipare poterat. In Arrogatione trina rogatione opus erat: *Una* ad populum, cujus

cujus formula apud Gellium *v. 19.* VELITIS IVBEATIS QVIRITES, VT LVCIVS TITIVS VALERIVS LVCIO TITIO TAM IVRE LEGE SIBI FILIVS SIET, QVAM SI EX EO PATRE AC MATREFAMILIAS EIVS NATVS ESSET, VTIQVE EI VITÆ NECISQVE IN EO POTESTAS SIT, VTI PATRIENDO FILIO EST. HÆC VTI DIXI, ITA VOS QVIRITES ROGO. Similis formula in arrogatione nepotis *L. 44. d. Adopt.* Rationem addunt Noodt *ad ff. d. Adopt. p. 47.* & Torrentius *ad Svet. in Aug. c. 64.* quia civis Romanus non poterat ſtatum, ſine populi conſenſu, mutare. *Altera* rogatione ad eum, qui arrogatur, qualis Formula apud Cic. *Orat. pro Domo:* AVTORNE ESSES, VT IN TE S. FONTEIVS VITÆ NECISQVE POTESTATEM HABERET VT IN FILIO, & *tertia* ad eum, qui arrogabat, ut eſt apud Cajum *in L. II. d. Adopt.* AN VELIT EVM, QVEM ADOPTATVRVS SIT, SIBI IVSTVM FILIVM ESSE. Fœminas conſtat arrogari non potuiſſe. *Ulp. Fr. VIII. 7.* Noodt. *ad ff. d. Adopt.* Rationem ſuggerit Gellius *v. 19.* *quoniam cum fœminis nulla comitiorum communio eſt, & tutoribus in pupillos tantam eſſe auctoritatem, poteſtatem, fas non eſt, ut caput liberum fidei ſuæ commiſſum alienæ ditioni ſubjiciant.* Verum ad coëmtionem: In uxore, quæ patre auctore, cujus in poteſtate erat,

erat, in manum convenit, mancipatio optima ratione, & eadem, qua in adoptione, potuit procedere. Mirum autem videatur, quod rogationis ad matremfamilias, quæ mancipatur, & quasi adoptatur, & ad patremfamilias, qui mancipio accipit & quasi adoptat, in coëmtione intervenire solitæ meminerit Boëthius, si ea in adoptione in specie non fuit opus ex ratione Noodtii, quod liberos in potestate parens occidere nec minus vendere potuerit. Sed tamen nihil obstat, quo minus in coëmtione & mancipatione uxorum fieri rogatio potuerit, postea quam in emancipatione & adoptione in specie obtinuit, ut invitus emancipari nemo possit. Paulus *2. Sent. 27. §. 5.* ibique Schulting. Utque si â patre in adoptionem dentur, in his utriusque arbitrium spectandum sit, vel consentiendo vel non contradicendo, adeoque hactenus â vetustissimo rigidoque jure, quo libera ex lege Romuli patri liberos vendendi potestas erat, recessum, notante Bachovio *ad τὰ πρῶτα p. 262.* In ea, quæ suæ potestatis erat, & coëmtione tutoribus auctoribus in manum convenit, quod fieri potuisse diserte docuit Cic. *pro Flacco c. 34.* Res majorem dubitationem habet, quomodo sive mancipatio sive rogatio potuerit adhiberi. Quo pacto enim mancipari potuit, quæ non in alterius mancipio, sed sui mancipii fuit? cum liber homo æstimatio-

nem

nem non recipiat. *L. 7. ff. d. deject. & effusis.* Et licet se venundari patiatur, venditio nulla sit, nisi qui casus plane singularis atque limitatus, major viginti annis ad pretium participandum sese emtori ignoranti venundari passus sit §. 4. *J. de jure personar.* ibique Janus â Costa; porro, ut ex Gellio *v. 19.* habuimus, tutoribus in pupillos tanta auctoritas & potestas non fuerit, ut caput liberum alienæ ditioni subjicerent. Neque est, ut arrogationem hic comminiscamur: neque enim adrogari potuit fœmina in comitiis per trinas rogationes, utpote quorum nulla eidem fuit communio. Neque usquam proditum est, arrogatione uxores in manum convenisse. Sed quid in conventione in manum, quæ erat capitis diminutio, hæreo? uxorem se ipsam capite deminuisse, haud obscure innuit Cic. *Tòp. IV.* & Boëth. *in Tòp. Cic.* & coëmtione tutoribus auctoribus in manum convenisse probat Cic. *Orat. pro Flacco c. 34.* quare, si coëmtio per mancipationem, æs & libram fuit expedita, quod supra §.6. ex bonis auctoribus confirmavimus, si in eadem rogationes intervenerunt, non quidem ad populum in comitiis, sed ad patrem & matremfamilias, ut ex Ulpiano refert Boëthius, dubitari amplius non potest nec debet, uxores coëmtione tutoribus auctoribus, intervenientibus rogationibus, maritis fuisse mancipatas. Adeoque hactenus omni-

omnino fallit, in coëmtione, imo in omni conventione in manum, quæ fiebat Farre & Usu, doctrina Noodtii & Torrentii, civem Romanum sine populi consensu statum mutare non posse. Fallit etiam in iis, qui Virgines Vestæ capiebantur, & Flamines Diales inaugurabantur, & sic in potestate parentum esse desinebant. Et quid amplius speciali consensu populi opus erat, postea quam semel Romanis legibus constitutum, ut Conventione in manum in mariti familiam mariti & sacerdotio Vestæ Flaminisque Dialis è patrio jure exire fas esset. Denique Adoptio, Arrogatio & Conventio in manum erant distincti, nec iidem mutandi familiam modi, ideoque mirum nemini videri debet, si solennia sive adoptionis sive arrogationis speciotenus in coëmtione non repræsentantur, sed coëmtio suam propriam atque distinctam ex Romana legislatione accepit formam.

§. XVIII.

Donatio ante nuptias nihil ad coëmtionem.

Videamus adhuc de *Donationibus ante nuptias*, quas ex coëmendi ritu deduxit Isidorus: deinde de *Taxatione dotis*, quibus morem coëmtionis expeditum censuit Servius *IV. Æneid.* Equidem donationes inter sponsum & sponsam jam olim Pandectarum jure usitatæ erant & cognitæ. *L. 1. §. 2. ff. d. Donat. L. 5. L. 27. L. 32. §. pen. d. Donat. inter virum*

virum & uxor., *L. 12. ff. de publ. in rem Act.*, *L. 8. & sqq. c. d. Donat. ante nupt.* Marcilius, Giphanius, *ad §. pen. J. d. Donat.* Huberus *Præl. Inst. n. 8. Eod.* Nec ab hac sententia alienus Hotomannus ad *d. §. pen.* Eæque quidem donationes sponsalitiæ olim in vim simplicis donationis, etiam nuptiis non secutis, valebant, ex Constantini tamen constitutione in *L. 15. ff. d. Donat. ante* nuptias tacitam nuptiarum conditionem continere censebantur. Sed & aliud genus donationum erat, quod veteribus quidem prudentibus penitus erat incognitum, postea autem â junioribus Divis principibus introductum, quod ANTE NVPTIAS vocabatur, & tacitam in se conditionem habebat, ut tunc ratum esset, cum matrimonium fuerit insecutum, quemadmodum omnes habebant sponsalitiæ sive ante nuptias donationes, ex Const. Constantini in *d. l. 15.* v. Balduinus *ad d. §. pen. J. d. Donat.* Fiebat hæc donatio PROPTER DOTEM & NVPTIAS, sive DOTIS, ut ea in tuto sit, CAVSA, nec simplex donatio, sed quasi antipherna intelligebantur *L. 20. c. d. Donat. ante Nupt.* Giphan. & Huber. *cit. locis.* Fiebat primitus ante nuptias, post nuptias nunquam. Constitutione autem Justini poterat & constante matrimonio augeri, denique Justiniani non constante matrimonio tantum augeri, sed & initium accipere *d. §. pen.* Est donatio hæc pro-

propter nuptias quaſi repræſentatio dotis, quæ in ejus ſecuritatem præſtatur, & lucratur uxor res propter nuptias donatas eisdem caſibus, quibus maritus dotem *Nov. 61. c. 2. pr.* & §. 1. *Nov. 91. c. 2.*, *Nov. 97. c. 1.* quæ alioqui ſoluto matrimonio regulariter ad mulierem, quemadmodum dos ad mulierem revertitur *L. VII. c. d. Donat. ante nuptias.* Non tamen idem juris mulieri in rebus propter nuptias donatis, quod marito in dote, hæc ad ſuſtinenda matrimonii onera datur, illa tantum in ſecuritatem dotis, ideoque nec rerum donatarum fructus percipit, quod nusquam legitur, & ſi fieret, dos viro penitus fieret inutilis, ſi quantum ex dote perciperet, tantum ex donatione admitteret. Huber. *d. l.* A quibus Principibus introductum ſit hoc genus ante nuptias donationum, non convenit inter juris interpretes. Æmilius Terretus putat ab Aurelio Diocletiano & Maximiano. Sed quæ ſuperſunt in Codice Juſtiniani de Donationibus Ante Nuptias *L. 8. L. 9. L. 10. L. 11. L. 12. L. 13. L. 14.* Diocl. & Maxim. ad Ante Nuptias Donationes ante tempora Conſtantini in vim ſimplicis donationis validas pertinent. Contius atque Ægidius Hortenſius exiſtimant, â Conſtantino; verum *L. 15. c. d. Donat. ante nupt.* agit de iis, quæ inter ſponſum & ſponſam largiendi animo celebrantur, ac generatim de omnidus ſponſalitiis donationibus,

bus, non de donatione dotis cauſa â ſponſo facta. Ab Impp. orientalibus cenſet Giphanius: a quonam, non definit, nec licet definire, cum non ſit proditum. Ex his autem, quid differat â cæteris ante nuptias donationibus, hæc dotis cauſa & propter nuptias donatio, facile licet colligere: potiores differentias ad *d.* §. *pen.* congeſſerunt Giph. & Hotom.

Hæc autem omnia quam inepte ad coëmtionis ritum referentur. Donatio, quæ in republ. Romana inter quemvis ſponſum & ſponſam ante tempora Conſtantini in vim ſimplicis donationis fiebat, Conſtantini ætate vero cum tacita conditione, ſi nuptiæ ſequantur, facta cenſebatur, quomodo ex coëmtione, qua uxores maritis non in matrimonium tantum, ſed in manum quoque conveniebant, potuit proficiſci. Donatio vero ante aut propter nuptias dotis cauſa facta, veteribus prudentibus incognita, poſteriorum Impp. conſtitutionibus, in quibusvis nuptiis admiſſa, & quidem eo tempore, quo haud dubie jam ceſſaverat omnis in manum conventio, quomodo ex ritu nuptiarum, quo maritus ſe invicem emerent, potuit eſſe conſecuta. Ad hanc autem propter nuptias donationem puto reſpexiſſe Iſidorum. Cæteræ enim donationes, quæ in nuptiis, nec ob dotis cauſam fiunt, haud valere manifeſti juris eſt.

§. XIX.

Nihil ad coëmtionem taxatio dotis.

Id autem inanissimum est Servii commentum, quo morem coëmtionis, etiam citra nominis nuncupationem dotis datæ taxatione expeditum fuisse scripsit. Plerumque apud Romanos in nuptiis, sine in manum conventione initis, res æstimatæ in dotem dabantur. Est hæc æstimatio rerum dotalium vera venditio, non simplex, sed dotis causa, & si ante matrimonium facta, habet conditionem, si matrimonium fuerit secutum. *L. 10. §. 4. L. 16. ff. d. jure dotium.* Maritus est rerum dotalium æstimatarum emtor, quodque evenit, emtoris periculo est. *L. 15. eod.* Re evicta, quæ æstimata in dotem datur, vir ex emto contra uxorem agit. *L. 16. Eod. L. 1. c. Eod.* fundum dotalem æstimatum in dotem datum, si arbitrio mariti sit, æstimationem aut fundum reddere, ex jure dominii pleni & irrevocabilis potest alienare. *L. 11. ff. d. Fundo dotali.* Etenim quoties res æstimatæ in dotem dantur, maritus dominium consecutus, summæ velut pretii debitor efficitur. *L. 5. C. d. jur. dot.* & in dotem rebus æstimatis traditis, quamvis eas mulier in usu habeat, viri dominium factum videtur. *L. 69. §. 8. d. jur. dot.* & periculo mariti deteriores efficiuntur. *L. 51. ff. d. sol. matr.* Plerumque vero interest viri, res non esse æstimatas: idcirco ne periculum

culum rerum ad eum pertineat, maxime si animalia in dotem acceperit, vel vestem, qua mulier utitur. Eveniet enim, si æstimata sint; & ea mulier attrivit, ut nihilominus maritus æstimationem eorum præstet, quoties igitur non æstimatæ res in dotem dantur, & meliores & deteriores mulieri fiunt. Si prædiis inæstimatis aliquid accessit, hoc ad compendium mulieris pertinet, si aliquid decessit, mulieris damnum est. *d. L. 10. pr.* & *§. 1. de jur. dot.*

Fit tamen interdum, ut æstimatio non faciat rerum dotalium venditionem. Sic 1) cum res in dotem æstimatas reddi placuit, *summa declaratur*, non venditio contrahitur, ideoque rebus evictis, si mulier bona fide eas dederit, nulla est actio viro. *d. L. 69. §. 7. Eodem* cujus pactionis vel stipulationis formulas exhibuit ex *L. 1. C. d. sol. matr. L. 50. ff. Eodem* Brissonius *d. Form. Lib. 6. Eod.* addo aliam ex *L. 5. C. d. jur. Dot.*

2) Eadem ratione, si inter virum & uxorem pactum sit interpositum, ut si matrimonium intra quinquennii forte tempora, quoquo modo esset dissolutum, *species* æstimatæ doti datæ, pretiis, quibus æstimatæ sint, redderentur, manifestum est, non pretia specierum dari, sed ipsas species debere restitui, cum in placitis specierum reddendarum idcirco pretiorum nomen videatur annexum, ne si

ſpecies aliqua deminuta fuiſſet aut perdita, alio pretio, quam quo taxata fuiſſet, repoſceretur. *L. 21. C. d. jure dot.* Secus ſi pactum conventum factum fuerit, quale extat in *L. 65. §. 3. d. ſol. Matr. & L. 18. d. jur. dot.*, ut tantidem æſtimata (mancipia) redderet, ubi non pactum de re ipſa reſtituenda, ut voluit Briſſon. *d. l.* ſed æſtimatione reddenda interpoſitum ideoque partus dotalium ancillarum apud maritum manet, cujus & periculo mancipia fuerunt.

3) Pari modo nec æſtimatione rerum dotalium fit venditio, ſi convenerit, ut electio uxoris ſit, utrum rem, an æſtimationem ſibi reddi velit, ut *L. 11. ff.* & *L. 1. c. d. fundo dot.* & *L. 10. §. 6. d. jure dot.*, quibus caſibus maritus rerum dotalium non fit dominus, nec ei fundum dotalem licet alienare, ſecus ſi electio ſit mariti *d. L. 11. ff.* & *L. 1. c. d. Fundo dotal.* ſi nihil de electione adjectum, electionem habebit maritus. *d. L. 10. §. 6. de jur. dot.*

Sed ut ad Servium, â quo diſceſſeramus revertamur, cui quidem, cum in libris Romanarum legum legiſſet, eſſe hanc æſtimationem rerum dotalium veram venditionem & maritum rerum dotalium æſtimatarum emtorem, id fraudi fuiſſe videtur, ut æſtimatione dotis morem coëmtionis, quibus uxores maritis in manum convenirent, expeditum putaret,

quo

quo nihil ſive dici ſive fingi falſius ineptiusve potuit.

§. XX.

De Senibus Coëmtionalibus ſententia Rævardi, Manutii, Hotomanni.

Expendendum nunc eſt, an *ſenum coëmtionalium*, quorum meminit Cic. *Orat. pro Murœna c. 12.* in coëmtione, & quidem illa, qua uxores maritis in manum convenerunt, aliquæ fuerint partes. Ciceronis verba ſunt hæc: *Sacra illi interire noluerunt, horum ingenio ſenes ad coëmtiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſa reperti.* Locus plane inſignis, qui exercuit ingenia ſummorum virorum, Alciati *IX. Parerg. 19.*, Manutii *ad orat. Cic. pro Murœna d. c. 12.*, & *ad L. VII. Fam.*, Balduini *in Scævola p. 74. 75.*, Hotomanni *Antiquit. Rom. L. 2. p. m. 383.*, Rævardi *ad L. XII. c. 21.*, Siccamæ *in Faſtos Kalend. Rom. c. IV.*, Gutherii *d. jure Pontif. Libro 2. c. 6.* Scaligeri *ad Feſtum in verbis: puri probi*, Marcilii *ad L. XII.*, Salmaſii *ad Plaut.* Gronovii *de Pec. veter. IV. 7.* Gravinæ *de origine Juris p. m. 248.* Abrahami à Kerckraadt *de jure Patrio p. 40.*

Ad conventionem in manum, quæ fiebat coëmtione, hos coëmtionales ſenes retulerunt Rævardus, Manutius, Hotomannus, diverſimode tamen, & quisque ex ſuo ingenio. Rævardus exponit: *Sacra*, i. e. confarreatio-

 nem

nem *majores interire noluisse*, *Jure consultorum ingenio Senes ad coëmtiones faciendas* (cum eas, quibus in manum convenitur, tum illas, quibus quid venale profcribitur) *interimendorum facrorum*, i. e. interimendæ confarreationis *caufa repertos*, atque fic introducta coëmtione in desvetudinem fenfim confarreationem abiisse.

Aliter Manutius ad orat. Cic. *d. c. 12. Coëmtio*, inquit, *actio illa tota dicebatur, cum fenibus illis eam partem bonorum, quæ facris obnoxia essent coëmentibus, ut ea interimerent, neque iis mulieres adftringerentur, reliqua omnia mulieris in mariti poteftatem dotis nomine tranfibant*, & ad *Lib. VII Famil.* Senes interimendorum facrorum caufa repertos interpretatur tutores, quibus autoribus uxor in manum conveniret.

Hotomanni hæc de illo loco fententia, fenes orbos matrimonium per coëmtionem contraxisse, quibus mortuis, uxores, quidem ut pecuniæ ita & facrorum heredes fuisse, at fimul atque alteri feni nupfissent, inque ejus fenis facra tranfiissent, fenis prioris facra interisse. Sibrandus Siccama quoque ad nuptias retulisse hos fenes videtur; vix tamen adfequor, quid fibi velit, nec rationem fententiæ male cohærentis expedit. Ait autem: *nuptias definit Modeftinus juris & humani & divini communicationem: etenim fœminæ in fami-*

familiam & sacra mariti transibant. Ea sacra perpetuo apud familiam manebant; unde præclare Cic. pro Muræna apposuit verba: *Nam cum senes obirent, sacra simul interibant & ad agnatos solos pertinebant.* Cæteri Ciceronem, quisque ex suo ingenio, explicant de sacris privatis imaginariis venditionibus interemtis, & de Conventione in manum, quæ fiebat coëmtione, silent, nisi quod Gutherius sacra uxoris coëmtione exstincta putaverit. Sed audiamus omnes ac singulos.

§. XXI.

De senibus coëmtionalibus sententiæ Alciati

Alciatus *IX. Parerg. 19.* censet, JCtos, ut fraudem legi facerent, invenisse remedium, ut bona sacris obnoxia venundarentur seni alicui & cito morituro, quod scil. ea obligatio, licet in successorem singularem transferretur, in primum duntaxat transiret. *L. fin. §. fin. de contrah. Emt.* sicut pleraque alia in primum hæredem solum transeunt, nec ad ulteriores extenduntur *L. sciendum 70I. ff. v. s.*

Scaligeri

Joseph. Scaliger *ad Festum in v. puri probi*, notat: sacra privata fuisse interemta genere imaginariæ venditionis, quæ vocabatur coëmtio, adhibitis senibus coëmtionalibus, qui asse Cajano h. e. nummo sestertio dicis causa ter accepto & rursus reddito hæredem absolverent.

Marcilii Marcilio *ad L.XII.* ſic viſum, heredem, ſacris adſtrictum hereditatem, fiducia interpoſita, vendidiſſe, ſeni capulari Acherontico, ut eo cis paucos dies mortuo reciperetur hereditas, jam ut res emta, non ut legata, aut relicta eoque ſacris adſtricta.

Gutherii Jacobus Gutherius *d. jure Pontif. L. 2. c. 6.* ſic conjicit: Coëmtionales ſenes ut familiæ emtores certis conditionibus emiſſe hereditatem, ut ſcil. pecuniam heredi legatariisque ſolverent, quam teſtator illas habere vellet, quo pacto pecunia ex ſtipulatione debita legatarios ſacrorum onere ſublevatos eſſe. Addit Gutherius *d. c. 4.* fuiſſe & aliud genus coëmtionis, quo domeſtica ſacra occiderent. Nimirum in conventione in manum coëmtione, uxorem cum ſua marito heres eſſet, ejusdem ſecutam eſſe ſacra, non æque maritum ſacra uxoris, quippe cujus bona coëmtione ſibi acquiſiiſſet, ut non pro herede ſed pro emtore poſſidere cenſeretur.

Salmaſii Salmaſio *ad Plaut.* placuit, coëmtionales proprie dictos es, quos interimendorum ſacrorum cauſa JCti adhibuerint, nec in aliis emtionibus locum habuiſſe. Eos quidem aliquot res hereditatis velut mancipia coëmiſſe, & ſic cum viderentur hereditatem ipſam coëmiſſe, ſacris etiam cum hereditate conjunctis obnoxios factos, ſed cum capulares

res essent, ipsis mortuis etiam sacra illa interemta fuisse, nec ad heredes transiisse.

Janus Vincentius Gravina *d. Origine jur. Civ. p. 248*, Scaligeri sententiam de interemtis imaginaria venditione sacris secutus, sic ejus rationem explicavit, Jure consultos excogitasse translationem quandam hereditarii nominis per simulatas venditiones in senem decrepitum ac pene mortuum, cui heres futurus esset nullus, in quem senem caderet nomen tantum hereditarium, & dominii titulus absque re absque bonis ullis, una cum onere sacrorum, in quorum sumtus pecuniam ab herede caperet, ut ea curaret, quoad viveret. Quo sine bonis moriente, ac hæreditario familiæque nomine cum eo una pereunte, jus quoque sacrorum exstinctum fuisse, bonaque tum libera permansisse apud possessorem illorum, â quibus ea de causa ille familiæ nomen & dominii titulum divellerat, ut translata in senem eum emtum, quem propterea coëmtionalem vocarent, morte illius occiderent, & cum dominii titulo familiæque nomine sacra etiam interirent. Qui de Jurisprudentia Mutiana commentatus Fr. **Gravinæ**

Balduinus *in Scævola p. 47. sqq.* Scævolam existimat consuluisse, ut legatarius, qui sacris alligari nollet, novatione quadam facta, heredem obligatione testamentaria sic liberaret, ut eum stipulatione obstrin- **Balduini**

ſtringeret imaginaria coëmtione interveniente: meminiſſe enim etiam Juſtinianum *libro 2. Inſt.* ſtipulationum emtæ & venditæ hæreditatis, quæ inter hæredem & legatarium partiarium interponeretur, & in ſtipulationibus ſive obligationibus interveniſſe imaginariam venditionem h. e. æs & libram docente Scævola apud Varronem *L. VI. de Lat. Lingua.* Scævolam vero ſimpliciter non conſuluiſſe, ut ſolvat ſive liberet heredem legatarius, ſed ut ſoluta teſtamentaria obligatione, ſtipulatione eum conſtringat: ut pecuniam legatam non ut legatam, ſed ut ſtipulatam deinde petat, neque jam dici poſſit ex teſtamento eam capere, ſed ex ſtipulatu & propterea ſacris non alligetur. Sic enim conjungenda eſſe & connectenda, quæ Cicero ſparſim & diſſolute *libro 2do* de legibus attigerit. Nihil autem de ſenibus Balduinus: putat enim non mendi ſuſpicione carere vocem illam ſenes, cum in libris antiquis varie legatur.

§. XXII.

Sententia Gronovii. Jacobus Gronovius cum varias variorum ſententias, Hotomanni, Manutii, Scaligeri, Marcilii, Gutherii, Salmaſii ad examen revocatas exploſiſſet, aliam tentavit explicationem. Accipit autem ipſe æs & libram, quæ in quovis teſtamento & in hereditate etiam inteſtati, atque adeo in quinque illis generibus, quæ Scævola facit eorum,

qui

qui sacris alligarentur, adhiberi posset atque usitaretur, post aditam hæreditatem inter heredem & comparatum hominem senem, qui hæredem solveret. Subornasse autem heredem hominem senem tanquam graviorem auctorem arg. *L. 15. d. Fideicom. Libert.* eidemque ut in legitima mancipatione, advocato libripende ac testibus vendidisse hæreditatem non ut hæredi, nec pro hærede, ut testator familiæ emtori, sed ut possessori alieno, senem dato dicis causa nummo sestertio eam coëmisse, non secus ac sectionis emtorem, & possessorem liberam eam, nullisque adstrictam sacris suam fecisse: postea rem in stipulatum deductam, & emtorem ac dominum fiduciarium stipulato heredi quasi ex sponsu eandem tradidisse, sic exstinctum nomen hæredis & hæreditatis, & sic etiam sacrorum hæreditati adnexorum & lucrosiore titulo possedisse, qui graviore prius, ut hæres, possederat.

Coëmtionem autem imaginariam vim eandem obtinuisse, quam in emancipationibus liberorum & in donationibus interdum hujusmodi donationes interpositas, ut ea non donatio, sed emtio venditio videretur, ut cum Serviliæ amplissima prædia ex auctionibus hastæ nummo Cæsar addixit, teste Svetonio. Eandem Gronovii sententiam secuti Abrahamus

mus à Kerckraadt *d. jure patr.* & Pitiscus in *Lexic. v. Coëmtionales.*

§. XXIII.

Nihil senes coëmtionales ad coëmtionem.

Plane nihil omnino Cicero eo loco de coëmtione in manum conveniendi modo. Rævardi argumentis *superiori* §. 5. responsum. Manutii & Hotomanni commenta confutavit *d. l.* Gronov. In Siccama nihil video nisi ratiocinationem perplexam, quantum intelligo, quamvis uxorem putat in familiam & sacra mariti transiisse, & si recte eundem capio, cum senes mariti obiissent, intercidisse communionem sacrorum, & eadem ad solos agnatos pertinuisse. De uxore tantum falsum est, illam in mariti familiam transiisse, nec inter eam & maritum fuit vera ac propria communio sacrorum, *v. c. 3. §. 22. in fin.* Uxor autem, quæ in manum convenerat, fuit agnata & consanguinea atque heres bonorum & sacrorum. Neque est, ut cum Gutherio existimemus, sacra uxoris coëmtione intercidisse, utpote cujus bona coëmtione sibi maritus quæsiisset, ut non pro hærede, sed pro coëmtore possideret. Non bona uxoris coëmit maritus, sed uxorem mancipio accepit, bona ejus acquisivit non ex coëmtione, sed ex patrio jure, quo per hos, qui in nostra sunt potestate, nobis acquiritur. Uxor, quæ e patris potestate exiit, inque mariti manum con-

convenit, ejusdem ſacra deſeruit. Sui juris fœmina cum capite fortunas quoque ſuas in familiam ac domum alienam mariti tranſtulit, arg. *L. 11. §. 2. d. Bonor. Poſſ. ſec. Tab.* Quod ſi autem Pontifices pecuniam cum ſacris conjunctam voluerunt, iisdemque ferias & ceremonias adſcribendas putarunt, in quas bona tranſirent Cic. *d. LL. 2. c. 19. 20.* conſequens eſt, uxorem pecuniam ſuam cum ſacris conjunctam ad maritum tranſtuliſſe, quemadmodum etiam in arrogatione pater ita adoptare debebat, ne quid de ſacrorum religione minueretur. Cic. *pro Domo c. 13. 14.* Quicquid autem hujus rei ſit, id certum. Ea quæ de ſenibus coëmtionalibus *Orat. pro Mur. d. c. 12.* attulit Cicero, nihil omnino ad coëmtionem in manum conveniendi modum attinere.

§. XXIV.

Senes Coëmtionales non ſatis cogniti.

De ſenibus coëmtionalibus apud Ciceronem cenſeo, nihil poſſe ulterius certa atque indubitata fide affirmari, quam idem quod Cicero ſignificavit, JCtorum ingenio eosdem repertos eſſe ad coëmtiones faciendas ſacrorum privatorum interimendroum cauſa, rationem faciendæ coëmtionis & ſacrorum interimendorum, cum ex veterum libris non habeamus penitius cognitam atque perſpectam, nec pudeat nos ignorare, ad quam indagandam eorum ingenio opus eſt, quorum

cau-

cautionibus senes ad coëmtiones faciendas reperti, ut adeo inanem operam insumserint, qui ex suo ingenio eam quasi divinando assequi tentarunt. In sene capulari Acherontico cito morituro rationem interimendorum sacrorum sibi videntur animadvertisse Alciatus, Marcilius, Salmasius & Gravina, licet non uno modo illam expediant, in comminiscendis artifices, & implicent magis quam explicent.

Examinantur Sententiæ Alciati

Argumentum Alciati ex *L. 70. pr. d. V. S.* eductum, plane incongruum ait Paulus: *paucis speciebus hæredis appellatione proximum contineri, veluti in substitutione impuberis, in lege Ælia Sentia, & operarum exactione*, idque sive ex sententia legis sive voluntate testatoris. Quomodo autem inde recte colligas, bonis sacris adstrictis in senem translatis obligationem sacrorum cum ejus morte intercidere, nec in ulteriores hæredes transire. Heredum causa justissima. Nulla est enim persona, quæ ad vicem ejus, qui ê vita emigraverit, propius accedat. Cic. *d. LL. II. c. 19.* & hæredem etiam per multas successiones accipi sciendum est. *d. L. 70.*

Marcilii

Marcilii sententia, imaginariam venditionem hereditatis sacris adstrictæ cum sene

ſene ſub contractu fiduciæ de illa remancipanda initam ſupponentis, quamvis in illum, ut ſolet, invehatur Gronovius, quaſi quid novi & monſtroſi peperiſſet, hactenus tamen non multum abeſt ab ipſius Gronovii conjectaneis (de quibus infra dicetur,) niſi quod Marcilius de ſuo jecore & parum caute ſenem cis paucos dies moriturum comminiſcatur, & remancipationem ex formula fiduciæ â morte ſenis citra neceſſitatem ſuſpendat. Videtur autem Marcilius remancipationem ab heredibus faciendam ſuppoſuiſſe, â quibus ut res emta hereditas reciperetur.

Salmaſii duo commenta, unum, ſenem aliquot rebus coëmtis univerſam hereditatem una cum ſacris, quibus obſtricta eſſet, coëmiſſe videri: alterum, in ſene, cum capularis eſſet, ſacra intercidiſſe, nec ad hæredes tranſiiſſe, quaſi ab homine ſene ad hæredes ſacra non tranſirent, & optimorum auctore, fide & juris ratione deſtituuntur, & confutata ſatis ab ipſo Gronovio. Salmaſii

§. XXV.

Doctiſſimi Jureconſulti Jani Vinc. Gravinæ conjectura violenta nimis, in qua ſunt, quæ reprehendas. Nusquam prodiderunt Romanæ leges, translationem nudi hereditarii nominis & dominii tituli absque re & bonis una cum onere ſacrorum in ſenem decrepitum, qui

Examinatur ſententia Gravinæ.

qui heres nullus futurus esset. Equidem hereditas juris nomen est *L.178. d. V. S.* quæ etiam sine ullo corpore juris intellectum habet. *L.50. d. H. P.* Sed non alia ratione quam qua hereditatis appellatio universitatem quandam ac jus successionis & non res singulas demonstrat. *L. 208. d. V. S. Giph. ad §. 11. de testam. ord.* Aleander, Oisel., & Schulting. *ad Caji Inst. II. 1. §. 2.* quo quidem jure successionis cum defunctum repræsentent quoad commoda & onera Theoph. ad *Tit. J. de Reb. in corp.* juris ratio refragatur, ab heredis nomine bona resque hereditarias divelli. Et quid quæso impedit, quo minus jus sacrorum à sene, etiamsi res hereditarias non habeat, in hæredes possit transmitti, cum juris nomen sit hereditas, cujus appellatio etiam damnosam hereditatem continet. *L. 119. d. V. S.* de familiæ nomine à bonis divulso, & una cum sene pereunte, quod addit Gravina, non satis intelligo. De sacris hæc erat una sententia, ut conservarentur semper, & deinceps in familiis proderentur; bona cum familiæ nomine non erant conjuncta, quique se arrogandum dabat, is cum capite & fortunas in alienam familiam transferebat, quamvis suam familiam deseruisset, & insolens plane ac inauditum erat apud Romanos, familiæ nomen per imaginarias venditiones in alterum transferri.

De

De Scaligero jam monuit Gronovius Scaligeri mancipationis ejusque trinæ â mancipatione liberorum ad has coëmtiones sacrorum interimendorum causa faciendas traductæ non apparere eandem rationem, quæ in filio subsit, utpote qui ex lege Romuli, nisi ter venditus esset, non poterat â patre fieri liber. Quod autem rationem non evolvit Scaliger, quomodo repertis senibus coëmtionalibus ad coëmtiones faciendas interciderent privata sacra, eo nomine â Gronovio notari non debuit, postquam ne nunc quidem de interemtis sacris pro re comperta, inquisitaque aut allatum quidquam aut afferri potest.

Gutherio senes coëmtionales ad spe- Gutherii ciem familiæ emtorum redigenti, qui pecuniam heredibus legatariisque solverint, respondet Gronovius, nec verosimile, emtores familiæ Ciceronem significasse, alioqui in omni testamento per æs & libram heredem solvissent sacris.

§. XXVI.

Balduinus, qui Ciceronem Orat. *pro* Balduini *Muræna C. XII.* putat attigisse, quod *libro 2do d. LL. c. 20. & 21.* de sacris ex cautione Scævola interimendis docuerat, cum plus alicui legatum esset, quam sine religione liceret, non dissimulavit, locum Cic. *d. LL.* esse maxime obscurum, cum nec Cic. satis rem totam exposuerit, & in hac parte non solum mutili

R sint

sint ejus de legibus libri, sed etiam mendosi, & præterea juris antiqui in hoc genere pertenuis memoria supersit.

Neque Cic. eo loco *Lib. 2. d. LL. c. 20. & 21.* eodem modo exponunt viri docti, ut nesciam, an, quod tentarunt Balduinus & Gronovius, ex his tenebris, senibus coëmtionalibus ad coëmtiones faciendas repertis, sacrorum interimendorum causa, satis lucis affundi potuerit. Ait Cicero *c. XI. quin etiam cavent, ut cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat,* IS PER ÆS ET LIBRAM HEREDES TESTAMENTI SOLVAT, *propterea quod eo loco res est,* ITA SOLVTA HÆREDITATE *quasi legata non esset. c. XXI. Rursus sacris liberantur. Hoc vero nihil ad Pontificum jus, & e medio est jure civili, ut* PER ÆS ET LIBRAM HÆREDES TESTAMENTI SOLVANT, *& eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur.*

Equidem de nexus & mancipationis ratione multa adhuc latent, & eruditis restant penitius investiganda, quomodo per æs & libram res ubique gesta, quid sit jure nexi, quid jure mancipii, quomodo mancipatio & nexus â se invicem differant, quid sit nexu datio, quid nexu liberatio. Non una ratione expediunt eruditi, & in loco Cic. *de Legibus,* non-

nondum est exploratæ veritatis, quid hoc sit, quod cautum fuit: *ut legatarius per æs & libram heredem testamenti solvat.* Balduinus interpretatur, *ut solvat sive liberet heredem testamentaria obligatione*, eumque stipulatione constringat. Intervenisse enim in stipulationibus interdum æs & libram vel aliquid simile. Gronovius videtur accepisse, ut solvat *hæredem & hereditatem sacrorum onere*, sed cavetur ibidem *de legatario* cui plus legatum erat, *quam sine religione liceret, sublevato onere sacrorum*, & de herede soluto non sacrorum onere, sed ita, ut eo loco res sit quasi ea pecunia legata non esset. Gutherius exponit, *ut familiæ emtores hæreditatem coëmtam hæredi solvant*: Sed recte notat Gronovius, hæc immane discrepare, *hæredem solvere*, & *hæredi solvere*. Hotomannus *Antiq. L. 2. p. m. 455.* explicat: legatarium, qui non vult accipere, quasi ex testamento *stipulari ab herede*, & *per æs & libram ab eo accipere*. Ita verbis Cic. *legatarium heredem solvere*. Et hactenus ei convenit cum Balduino. Addit Hotom. quibus verbis Ciceronis adducor ad suspicandum, moris fuisse, ut, qui stipularetur, dicis causa promissorem necteret, quem deinde re accepta dissolveret. In alienissimum plane sensum verba Ciceronis distorquet Carolus Sigonius *d. Antiquo jure Civium Romanor. c. XII.* & cum illo

Pitiſcus *in teſtamentum*: *Quomodo*, inquit, *teſtamentum fiebat per æs & libram, ſic etiam ſolvebatur; quod his verbis Cic. oſtendit, quæ ſunt in II. de LL.*

§. XXVII.

Examinatur ſententia Gronovii

In Gronovii commentis ſane plurima ſunt, de quibus poſſis dubitare 1) in quinque generibus Sacrorum, quibus ſacris ex hoc uno fundamento, quod Pontificio jure ſacra iis erant adjuncta, ad quos morte patrisfamilias pecunia perveniſſet, ſucceſſive alligabantur, primo heres, deinde, qui morte teſtamentove ejus tantundem ceperat, quantum omnes heredes: tertio, qui de bonis, quæ ejus fuerant mortis tempore, plurimum uſu ceperat poſſidendo, quarto, qui de creditoribus plurimum ſervabat, quinto, qui ei, qui mortuus pecuniam debuerat, neminique ſolverat, ſenes ad coëmtiones repertos eſſe ſacrorum interimendorum cauſa, eſt anceps conjectura Gronovii, quæ ex Cic. *oratione pro Muræna* vel aliunde idoneis rationibus non confirmatur. Neque ea ſolvendi ratio, quam effinxit Gronovius, alii poteſt applicari, quam heredi, cui ipſe tantum applicavit, non reliquis v. g. plurimum uſu capienti, ex creditoribus plurimum ſervanti.

2) Senem coëmtionalem producit Gronovius, cui heres hereditatem vendiderit,

non

non ut heredi, nec pro herede, ut testator familiæ emtori, sed ut possessori alieno. Verum nec testator familiæ emtori, familiam h. e. universitatem bonorum mancipabat, ut hæredi, viventis enim nulla erat hereditas, prout rectissime animadversum ab Hotomanno ad §. *1. J. d. test. ord.* & tamen negat Gronovius, familiæ emtorem heredem sacris solvisse.

3) Addit Gronovius, senem coëmtionalem emisse hereditatem, non secus ac sectionis emtorem, sed agit Gronovius de sene mancipio accipienti. Alia enim ratio erat ejus, qui mancipio accipiebat, alia sectionis emtoris. Dedimus enim supra §. *23.* probatum, ea mancipia, quæ sub corona aut in sectionibus venirent, omnino mancipio non data, sed periculo ementis accepta esse.

CAP. VI.

DE CONVENTIONE IN MANVM VSV.

§. I.

De Conventione in Manum Vsu Autores.

VSu denique in manum uxores convenisse supra cap. 2. §. 5. ex Cicerone *pro Flacco* c. 34. planum fecimus, aliisque argumentis confirmavimus. Sed constitutum nunc

nunc est producere in medium ipsos aucto-res veteres, qui de modo conveniendi in ma-num VSV aut quicquam scriptum reliquerunt, aut eam in rem â viris doctis auctores adhibentur. Locum Ciceronis *pro Flacco c. 34.* plane insignem c. 3. §. 1. ubi de Coëmtione agendum erat, integrum dedimus conspiciendum, quæ de Usu ibidem edisseruntur, hæc sunt: *In Manum*, inquit, *convenerat. Nunc audio. Sed quæro Usu, an Coëmtione? Usu non potuit: nihil enim potest tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui.* Meminit hujus in manum conveniendi modi Usu, licet conventionis in manum nominatim mentionem haud injecerit Arnobius Lib. IV. adversus gentes in verbis jam c. 2. §. 6. allatis: *Uxores enim ii habent atque in conjugalia fœdera veniunt conditionibus ante quæsitis Usu, Farre, Coëmtione genialis lectuli sacramenta conducunt.* Ejus rationem explicavit quodammodo Servius *Lib. I. Georg.* ad vers. *Teque sibi generum* &c. *Tribus modis*, inquit, *apud veteres nuptiæ fiebant, Usu, si v. g. anno uno cum viro licet sine legibus fuisset.* Locum integrum c. 2. §. 6. Aliqua etiam tetigit Boëthius in Topica Cic. comm. Lib. 2, licet duas uxorum formas minus recte expediat; cujus verba cum d. c. 2. §. 6. jam sint plenissime transcripta, hic tantummodo illa, quæ huc faciunt, apposui: *Uxoris species sunt duæ;*

una

una matrumfamilias, altera usu - - Tribus enim modis uxor habebatur, Usu, Farreatione, Coëmtione - - - quæ autem in manum per coëmtionem convenerant, hæ matresfamilias vocabantur, quæ vero Usu vel Farreatione, minime. Supereſt egregius Gellii locus III. Noct. Attic. 2. de uxore, quæ Kal. Januariis apud virum matrimonii cauſa eſſe cœpiſſet, ante diem IV. Kalendas Januarii ſequentis non rite uſurpatum eunte, utpote trinoctio, quod abeſſe à viro uſurpandi cauſa ex XII. Tabulis deberet, non impleto: Inſcriptio *capit. 2.* eſt: *Quid Q. Mutius ſcripſerit ſuper ea muliere, quam maritus non jure uſurpaviſſet?* Verba Gellii autem ſunt: *Quintum quoque Mutium Jurisconſultum dicere ſolitum, legi non eſſe uſurpatam mulierem, quæ Kalendis Januariis apud virum cauſa matrimonii eſſe cœpiſſet & ande diem quartum Kalendas Januarias ſequentis uſurpatum iſſet. Non enim poſſe impleri trinoctium, quod abeſſe a viro uſurpandi cauſa ex duodecim Tabulis deberet: quoniam tertiæ noctis poſteriores ſex horæ alterius anni eſſent, qui inciperent ex Kalendis.* Gellium totidem verbis tranſcripſit Macrob. I. Saturnal. 3. Quamvis autem ea, quæ & Gellius ex doctrina Scævolæ refert, non expoſite & aperte uſucapionem uxorum, qua in manum viri convenirent, oſtendant, arguit tamen eandem uſurpatio, quam conſtat eſſe ipſius uſucapio-

 capio-

capionis interruptionem. Videant ceterum eruditi, an ad hunc usurpandi morem pertineant verba Poppææ ad Neronem apud Tacitum L. XIII. c. 46, quæ viris doctis eo nomine proposuit consideranda Latinus Latinius *Observationibus in Carolum Sigonium de Antiquo jure civium Roman. LIX. Tom. I. Ant. Roman. Præfationi subjectis*, atque sic habent: *Mox acri jam Principis amore ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium amittere, devinctam Ottoni per genus vitæ, quod nemo adæquaret.*

Valentinus Forsterus *de Success. Lib. IX. c. 2. n. 44. & 45*, duos insignes locos de uxoribus usu, quas intelligit, quæ sola consvetudine existimantur uxores, notandos putavit, unum apud Plutarchum in *Vita Numæ*, in comparatione Numæ & Lycurgi, ubi earum, quæ usu uxores habentur, ortum ad Numæ institutum referre Forstero visus de Lycurgo loquens ait: *Cum connubiorum educandorumque liberorum illa communio utrique viro uxoriæ pudicitiæ suspicionem rite ac civiliter amovisset, non per omnia in eandem rem consenserunt: sed Romanus quidam vir, cum satis sibi filii educati essent, alterius suasionibus, qui filiis indigeret, uxorem, cujus dedendæ recipiendæque jus haberet, cedebat. At Laçon, quæ domi apud se esset, manente etiam connubio, in antiquo jure uxo-*

uxorem ei impertiebat, qui ad sobolem suscipiendam suasisset.

Alterum apud *Ciceronem I. de Oratore*: *Quid quod usu memoria patrum venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, cum uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque nuncium priori remisisset, mortuusque esset intestato, & ex utraque filius natus esset: mediocrisne res in controversiam adducta est, cum quæreretur de duobus civium capitibus & de puero, qui ex posteriore natus erat, & de matre? quæ si judicaretur certis verbis non novis nuptiis fieri cum superiori divortium, in concubinæ locum duceretur.* Quæ tamen duo loca quam incongrue ad conventionem in manum usu â Forstero relata sint, monstrabit sequens de usucapione uxorum tractatio.

§. II.

Conveniendi in manum Usu Modus

Convenit itaque uxor in manum Usu, autore sive *patre*, Paulus *coll. LL. Mos. & Rom.* 2. sive *tutore*, Cic. *pro Flacco c.* 34. *cum matrimonii causa*, Gellius *III.* 2. *anno cum viro*, licet sine legibus, fuisset, Servius *d. L. I. Georg.* & sic annali usu capta in manu sive mancipio & potestate viri esse cœpit, nisi trinoctium, quod abesse â viro usurpandi causa ex XII. Tabulis deberet, usurpatum isset, Gellius *d. l.* Ait Servius, quæ anno cum viro licet *sine legibus* fuit,

explicant viri docti, sine conventione in manum, Forsterus *d. Success. Lib. IX. c. 1. n. 21.* absque coëmtionis solennibus.

§. III.

Usus variæ significationes.

Usus apud Romanos significat 1) *utendi jus & rationem*, de quo est *tit. ff. d. usu & habitatione*; item *de Usu & Usufructu & habitatione & operis per legatum vel fideicommissum datis.* 2) *Consuetudinem, exercitationem, experientiam* vulgo praxin. Quo sensu dicitur *usus sermonis* apud Plin. *X. 96.* *Usus dicendi* apud *Quint. 3. cap. ult.* *Usu confirmari*, apud eundem *III. 2.* *in usu plerique literas chartas appellant* apud Ulpian. *L. 52. §. 4. de Leg. 3.* *in usu frequentatur*, apud Callistr. *L. 2.* ex quibus causis major. 3) *Familiaritatem*, conversationem. Sic *usus domesticus & consuetudo*, Cic. *pro Rosc. Amer. c. 6.* *usus mihi magnus est cum eo.* Idem Fam. VII. 33. 4) Usus pro *opus*, Lucretius *Lib. 1. vers. 185. & 220. Lib. IV. v. 829.* & *L. V. vers. 842.* Virg. *VIII. Æneid.* quemadmodum observatum â viris doctis, Oberto Giphanio in Indice Lucretiano *h. v.* & Thoma Creechio, eo, qui initio hujus seculi, cum sive ob amores sive avaritiam in melancholiam incidisset, sibi ipsi necem suspendio conscivit, ad *d. L. I. v. 185.* 5) *Possessionem* nimirum ex definitione Javoleni in *L. 115. d. V. S.* Possessio, usus, ager, proprietas loci est, quomodo etiam

etiam apud Festum in v. *Possessio.* Eandem definit Gallus Ælius: *Possessio est quidam agri aut ædificii usus, non ipse fundus aut ager,* quo sensu Horatius *Lib. II. Ep. II. Vers. 158.*

Si proprium est, quod quis libra mercatus & ære,
Quædam consultis, si credas, mancipat USUS,

& Jureconsulti veteres: USU CAPERE, CAPERE USU *L. I. pro donato,* NON CAPERE USU, USU NON CAPERE *L. 2. pr. & §. 2.* pro Emtore *usu suum facere L. 1. §. 1. L. 21. pr. ff. ex quibus causis majores, per usum sibi acquirere L. 19. Eod.* Sic cum apud Ciceronem verba Legis XII. Tabularum de usucapione rerum mobilium & immobilium referuntur *Topicorum IV.* USUS ET AUTORITAS FUNDI BIENNIUM EST, *& sic etiam ædium, at in lege ædes non appellantur, & sunt* CETERARUM RERUM OMNIUM, *quarum* ANNUUS USUS est. Et pro Cæcin. 19. *Lex* USUM ET AUTORITATEM FUNDI *jubet esse* BIENNIUM, *& utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur.* Usus possessionem, autoritas, ut alibi apud Ciceronem *Orat. de Harusp. Resp. c. 7.* & in Lege Attinia apud Gellium *XVII. 7.* jus legitimi dominii demonstrat Hotomannus *Antiq. Rom. Lib. III.* Charondas *ad Ulp. Fragm. XIX. §. 8.* Rævard. *ad L. XII. c. 17.* Gravina *de Origine juris p. m.*

19?

192. Verba Cicer. *in Topic.* sic explicavit Boëthius: *Plurimarum rerum usucapionem annuam esse, ut quibus annuo continuo aliquis* REVS *est, illa firma juris autoritate possideat.* Mancipio sive legitimo dominio opponitur usus apud Lucret. *Lib. III.*

Vitaque MANCIPIO *nulli datur omnibus una*

Eadem ratione, qua Curius *ad Cic.* Ep. Fam. *Lib. VII. ep. 29.* & Cic. *ad Curium d. L. VII. Ep. 30.* distinguunt MANCIPIVM & FRVCTVM. Ulp. *Fragm. I. 16.* IN BONIS EMTORIS & EX IVRE QVIRITIVM VENDITORIS ESSE, & Theoph. §. 40. S. d. R. D. DOMINIVM, & VSVM & FRVCTVM.

§. IV.

Usus in conventione in manum est possessio.

Ultima significatio, qua usus possessionem designat, est hujus loci. Ut igitur usu in manum convenire apud Ciceronem *pro Flacco c. 34.* nihil aliud sit, ac POSSESSIONE VENIRE IN MANCIPATVM, ut in simili de margarita loquitur Plinius *IX. 35*, sive uxorem, quam verbis Horatii VSVS MANCIPAT, VSV SVAM FACERE, VSV ACQVIRERE, VSV CAPERE. CAPERE enim & CAPIO, quæ quasi CAPTIO dici potest, in usu & pignore, in ususcapione & pignoris capione, autore Gellio *VII. 9.* Hic idem significat quod *acquirere* & *acquisitio.* Inde dixerunt

runt JCti veteres per LONGUM TEMPUS DOMINIUM CAPERE. Nec multo post DOMINIUM PER LONGUM TEMPUS ACQUIRI *L.15.§.16.& 27 de damno infecto.* DOMINIUM CAPERE POSSIDENDO *d. L.15. §.26.* DOMINII CAPIONEM *L.18. Eod.* IN SUUM DOMINIUM CAPERE *L.5. pr. eod. diutina possessione capere L.13. §.1. de usucap.* vid. Brissonius in voce *capere.* Itaque quemadmodum reus rerum mobilium annuus utenti plenissimum dominium Quiritarium præstabat, ut esset res propria jure autoritatis sive jure mancipii, ita usus uxorum efficiebat, ut verbis Ciceronis usu conveniret in manum, sive quod idem, ut usu manciparetur, sive usu esset in mancipio, quod ipsum est usu capere, usu sive possessione in suum capere dominium. Quamvis autem uxorem Cicero non dicat usu captam, sed usu in manum convenisse, meminisse tamen debemus, quod supra monitum *c.2. §.3. n.4.* veteres uxores, quæ in viri mancipio matrimonii causa sive in viri potestate, in viri familia essent, verbis magis receptis dixisse in manu esse, in manum convenisse sive farre, sive coëmtione sive usu.

§. V.

Usus appellatio in conventione in ma-

Scio Usus appellationem in conventione in manum usu, sive nuptiis, quæ usu fieri dicun-

num varie accepta. tur, diversimode â viris doctis esse acceptam. Scipio Gentilis *d. Donationibus inter virum & uxorem Lib.2. c.19.* Antonius Hotomannus *c. 24.* & post illos novissime Thomasius *d. diss. c. 1. §. 8.* uxores usu accipiunt, quæ *jure gentium* & *usu* tantum, *ex usu & consuetudine communi* uxores erant. Alii atque in his Gutherius *de veteri jure Pontificio L. 2. p. 90.* atque Thysii varia commentaria in Gellium *III. 2.* VXOREM VSVRARIAM intelligunt, in qua maritus nihil præter corporis usuram habet, quæque a Concubina parum differt. Et sunt qui putant Plautum in *Amphytr. Prologo & Act. III. sc. 3. n. 25.* appellatione uxoris usurariæ uxores usu designasse. Ludewigius Antecess. Halensis de *Differentiis Juris Rom. & German. in successione Conjug. diff. 2. Lit. ff.* nuptias ex annuo cum muliere usu ac contubernio præsumtas intelligit, & uxorem usu existimat fœminam honestam aut virginem integræ famæ, quæ annuo spatio contubernalis esset, viro corporis sui copiam faceret atque VSVM SVB SPE FVTVRI MATRIMONII, a cujus sententia nec videtur alienus Forsterus *d. succ. Lib. VIII. c. 2.* qui explicat de uxore, quæ usu ei matrimonii consuetudine uxor habetur, ad quam putat pertinere, quod in *L. 24. d. R. N.* traditum, in liberæ mulieris consvetudine non concubinatum, sed nu-

nuptias intelligi, cum tamen & uxorum usucapionem admittat, quæ in mancipio sive manu viri sit. Fluxam Forsteri de conventione in manum doctrinam quis non videt?

§. VI.

Usucapio uxorum.

Usucapionem apud Romanos in uxoribus admissam demonstrant primo verba Ciceronis *pro Flacco c. 34*, quibus uxores usu in *manum convenire* significavit, quod ipsum esse usu capi, usu venire in mancipatum, usu mancipari, usu esse in mancipio, modo diximus; deinde confirmat Servii Explicatio *I. Georg.* qua nuptias usu fieri docet, *si mulier anno cum viro licet sine legibus fuit*; probat denique doctrina Quinti Mucii Scævolæ apud Gellium *III. 2. de muliere usurpatum eunte*, qualis usurpatio usucapionem, cujus est interruptio, supponit. Age autem videamus, qua ratione usucapio, (quæ rerum mobilium tam mancipi, quam nec mancipi annuo usu, i. e. continuata possessione anni, puta civili, quæ justam habet possidendi causam & opinionem & affectionem dominii, id est bonam fidem, perficitur) in uxoribus potuit processisse. Fuisse liberos jure antiquissimo ea ætate, qua adhuc venderentur, res mancipi, ostendit Cornelius van Bynckersh. *Opusc. de jure occidendi vendendi liberos c. 1.* & ante illum agnovit Aleander *ad Cuj. Inst. I. 6.* Igitur & uxores fuisse res mancipi

cipi, probat earundem mancipatio & remancipatio vid. *c. 5. §. 6:* quæ cadere nisi in res mancipi potuit. Et profecto si mancipari per æs & libram potuit, cur non & usu mancipari potuisset maxime L. XII. usucapionem uxorum comprobante: Itaque de objecto usucapionis capaci non est quod dubitemus. Videamus DE TEMPORE. Ulr. Huberus JCtus præstantissimus *P. 2. Digres. Lib. 1. cap. 17.* ait: *Quanto temporis spatio peracta fuerit hæc usucapio, diserte ubi traditum sit, non memini, de anno tamen dubitandum non est, cum jure rebus mobilibus usucapiendis annus olim præscriptus, tum ex eo, quod Gellius refert, III. 2. puta de uxore, quæ Kalendis Januariis apud virum matrimonii causa esse cœpisset, & ante diem IV. Kalendas Januarias sequentis per trinoctium non rite usurpatum eunte.* Bene ex recta Juris analogia & Gellii loco intulit Huberus. Sed & annuum temporis spatium diserte traditum apud *Servium I. Georg.* ut mireris, id virum doctissimum fugisse. POSSESSIO ad usucapionem requiritur, quæ jure consistit, non quæ corpore *L. 10. C. d. acquis. Poss.* quæ per excellentiam nomen generis haud raro sibi vindicat inprimis in usucapione, ut in *L. 25. de Usucap.* Huberus *Disp. Fund. 31. n. 9.* civilis nempe possessio, quæ detentio est cum animo dominii *Basil. Lib. L. tit. 2.* & vere ac proprie possessio Giph. *ad tit. de usucap. p. 182.*

quam

quam adipiſcimur corpore & animo non per ſe animo aut per ſe corpore *L.3. ff. de et. vel et. Poſſ.* & quidem ex qualibet IVSTA CAVSA ſive TITVLO (*L. 35. J. D. diviſione Rerum*) acquirendi ejus, quod noſtrum non ſit, velut pro emtore, pro donato, pro dote, pro noxæ dedito, quales posſidendi cauſæ ſive ſpecies ſunt infinitæ in uno posſidendi genere, verbis Pauli in *L.31. §.21. ff. de Acquir. vel amittenda Poſſ.* qualis poſſesſio civilis, qua quis rem detinet, ut ſe dominum credat *L.13. §.1. de Publ. in rem actione.* Eſt quoque BONÆ FIDEI POSSESSIO: namque etiam bonæ fidei posſeſſor domini cogitatione posſidet. *L. 21. c. de Furt.* Redeamus nunc ad uxorem, eamque oſtendamus tanquam rem mobilem mancipi annuo uſu ſive continuata anni poſſesſione ex juſta cauſa animoque dominii ſive bona fide captam atque mancipatam. Equidem maritus uxorem uſucapturus debuit ejus *poſſeſſionem apiſci corpore*, puta *matrimonii conſuetudine* & ſimul *animo ſibi habendi.* Eam autem adipiſci haud potuit niſi patre aut tutore auctore, ut in omni in manum conventione, in manum conveniret, adeoque marito hoc fine, ut ſibi haberet, utenda traderetur; contra maritus animo & cogitatione dominii utendam acciperet. Traditio enim, quæ datio posſesſionis eſt, requirit ex utraque parte affectum, in tradente animum transferendi, & in

accipiente animum dominii sibique habendi, docente Javoleno in *L. 55. d. Obl. & Actionibus.* Sed & nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur, docente Paulo in *L. 31. pr. ff. d. A. R. D.* Atque civilis possessio & usucapio non procedit, nisi ex justa causa. Constat infinitas esse possidendi causas & species, genus possidendi civiliter esse unum. In uxore annua possessione usucapta, quæ non rite usurpatum iverat, Quintus Mutius apud Gellium suggerit matrimonii causam: *quæ Kalendis Januariis*, inquit, *apud virum* CAUSA MATRIMONII *esse cœpisset.* Alia enim ex causa nunquam potuit fœmina usu capi nisi ex justa matrimonii causa in lege XII. probata. Neque denique est quod de bona fide requirenda amplius laboremus, quæ, posteaquam ex utraque parte concurrit affectus dominii transferendi & accipiendi, sc. patris & tutoris auctoritas veniendi in mancipatum, & mariti animus sibi habendi, in marito usucapiente satis est conspicua.

§. VII.

Usucapionis effectus.

Usucapionis effectus est acquisitio dominii pleni, legitimi & quiritarii, Ulp. *Fragm. XIX. 8*; quod quidem legitimi dominii sive mancipii jus maritus quoque acquirebat in uxore usucapta, & quidem a

patre,

patre, si in ejus mancipio; ab ipsa uxore, si sui mancipii fuerit, ita, ut quæ antea sive in patris sive sui mancipii fuisset, post annum usucapionis in mariti mancipio tanquam filia in patris esse cœperit, quod tamen mancipii sive dominii jus, quemadmodum potestatis verbum, in persona liberorum patriam potestatem significare diximus. Neque existimare debemus maritum in ejusmodi traditione a domino, v. g. patre facta statim dominium acquisivisse, utpote quod per possessionem illico acquisitum, si dominus fuit, qui tradidit; per usucapionem demum, si dominus non sit §. 5. *J. per quas personas*, adeoque usucapione non opus fuisse. Plane usucapione uxorum non opus fuit, si esset a domino, sive patre legitime tradita, sc. mancipatione solenni, quæ legitima traditio erat, ut in omni conventione in manum coëmtione fieri solebat, sed quoties res mancipi, qualis uxor habebatur, vel omnino a vero domino mancipata non erat, neve in jure cessa, sive non ut oportebat, omissa forte solennitate necessaria, dominium ejus quiritarium nuda traditione ex jure gentium non transibat at bonitarium duntaxat cum causa usucapiendi, post usucapionem etiam quiritarium, notante Byncker sh. de *Rebus mancipi c. 11.* simili modo, quo servus à vero domino venditus & emtori traditus, si ei mancipatus non erat, neque in jure cessus, neque

anno ab ipso possessus, in bonis tantum erat emtoris (id est usu & fructu emtoris, *Theoph.* *§. 40. d. R. D.* id est in dominio bonitario, ut appellat idem Theophilus §. *ult. de Libertinis*) ex jure quiritium autem emtoris, docente Ulp. *Fragm. I. 16.* ex eoque jam pridem observante Brisson. *d. R. N.*

§. VIII.

An omnis uxor in conditione usucapiendi.

Sed quærendum hoc loco, an omnis uxor, quæ matrimonii causa apud virum est, qualis est omnis uxor tantum sive matrona, sit in conditione usucapiendi, ita ut nisi trinoctium usurpatum ierit, post annum usucapionis sit in mancipio viro. Ita videri poterat. Namque ex causa matrimonii uxorem possideri, & usucapi ex Gellio probavimus. Plane omnis uxor tantum, quæ matrimonii causa apud virum detinetur, nisi ex hac causa civiliter possideatur, cum animo sibi habendi & ab utraque parte, cum in patre sive tutore affectus dominii transferendi, in marito affectus accipiendi concurrat, in conditione usucapiendi non est. Id enim agi inter contrahentes debuit, ut dominium transferretur, quem in finem & tutoris auctoritas ad conventionem in manum requirebatur, qua ad nuptias sine in manum conventione contrahendas non erat opus. Est quidem omnis uxor in conditione usucapiendi posita, intra annum usu-

usucapionis adhuc uxor tantum ejusque juribus fruitur, sed contra omnis *uxor tantummodo* non est in conditione usucapiendi. Hactenus enim differunt.

§. IX.

Variorum Sententiæ de usurpatione uxorum apud Gellium examinantur.

Sed sane, posteaquam doctrina Quinti Mutii Scævolæ apud Gellium & varietate lectionum & ipsa inscriptione capitis maxime turbatur, & viros doctos in diversas sententias distraxit, nunc diligentius paulo excutienda sunt, quæ eam in rem ad usurpationem uxorum illustrandam ab eruditis afferuntur.

Inscriptio capitis sic effertur, quare MARITVS NON IVRE MVLIEREM VSVRPAVISSET, quæ quidem in ipso contextu videtur confirmari his verbis: NON ESSE VSVRPATAM MVLIEREM puta a marito. At vero qua ratione maritus usurpare uxorem potuit hoc sensu, ut usucapionem interrumperet, cum is sit in conditione usucapiendi, quique usucapturus est, ne mente quidem fingi possit, usucapionem interrumpere. Explicat, sed infeliciter nec ex mente Scævolæ, Jacobus Gronovius *III.* 2. LEGE NON ISSE VSVRPATVM, inquit, EST NON LEGITIMO MODO FIRMASSE VSVCAPIONEM, VEL VSVM, QVO FIEBANT IVSTÆ NV-

PTIÆ. Nec multo post: VTRVM ADAMABIS, NON INEPTE FACIES. VSVRPATVM ESSE NEMPE A MARITO: NON EFFECISSE, VT VSVRPATA IVDICARETVR, *ut usu uxor fieret. Quemadmodum in lemmate: quum maritus non jure usurpavisset. Usurpatum isse, si mavis, supinum sumendum est* παθητικῶς, *nempe abnoctasse, ut a marito usurparetur, quemadmodum mox: usurpatum esset, & usurpandi causa.* Omnio non agit Scævola de uxore, quæ non legitimo modo firmavit usucapionem, ut usu uxor fieret, sed quæ legitimo modo annali usu uxor facta, ideo quod non legitimo modo usucapionem interrupit, Trinoctio quod abesse, ex L. XII. a viro usurpandi causa, debuit, adeoque uxor, quam maritus non jure usurpavit, sive uxor, quæ usurpata non est, ea intelligi haudquaquam potest, quæ non legitimo modo firmavit usucapionem sive non effecit, ut usu uxor fieret. Sed jam ante Gronovium eo itum ab Antonio Guiberto Costano *Lib. de Dotibus c. 5. n. 10. p. 284.* ut Lege XII. Tabularum constitutum fuisse arbitraretur, ut mariti uxores usurparent, quæ trinoctium abfuissent, i. e. quemadmodum explicat Costanus, ut mariti uxores, quarum usum tantummodo habebant, si tribus noctibus abfuissent, suæ potestati subjicerent, quamvis & ipse sibi in hac specie parum constans *Libro de Dotibus p. 17.* in

in ſententiam Conani diſceſſerit. Inanis plane eſt conjectura Moſellani apud Balduinum ad L. XII. Tab., quæ nec fide veterum nec idoneis rationibus comprobatur, moris fuiſſe conjicientis, ut ex XII. Tab., qui uxorem duceret, trinoctium ab ea omni contactu abſtineret, idque emenſo anno, & recurrente nuptiarum die renovatum, dimiſſa a ſe uxore per trinoctium, quod quidem *uſurpari* dictum ſit, tanquam hoc facto *uſum uxoris in ſequentem annum compararet*, ita ut eo anno repudiare non velit. Nec minus, ut recte notat Bachovius, erronea ſententia Vertrani Mauri *de Jure Liber. c. 30. & 31.* exiſtimantis uſurpationem fuiſſe manus injectionem, qua mariti uxores, quæ trinoctio abfuiſſent, vindicarent, & exinde eodem jure haberent, ac ſi in manum conveniſſent. Ræwardus cenſet ad L. XII. c. 2. uſurpatas intelligi uxores non a marito, ſed a parentibus, aut ſi illi non eſſent, a Tutoribus, cum ab his ſolenni quadam ratione ad exemplum Sabinianarum virginum raptu quodam ſimulato apprehenſæ & a maritorum poteſtate liberatæ trinoctium a marito abfuiſſent. Ita quisque ex ſuo ingenio neſcio quas comminiſcitur uxorum uſurpationes, Conani quidem ſententia *VIII. Com. 3.* de Uxore, interrumpendæ uſucapionis cauſa, per trinoctium uſurpatum eunti meruit eruditorum adſenſum, altera tamen ejusdem

conjectura, qua suspicatur uxorem usurpari solitam a viro frequenti usu, non uno & eodem, nimirum annuo usu ab uxore per trinoctium quidem interrupto, sed de novo altero anno repetito, ut sic usurparetur, sive multis usibus uxor usucaperetur, non potuit non viris doctis displicere; annuus enim ex Lege XII. erat usus, nec multis usibus, nescio quo fine & fructu? interruptis iterumque iteratis, usucapio unquam processit.

§. X.

Explicatio loci Gelliani.

NON ESSE VSVRPATVM VXOREM, ut apud Gellium scriptum, exponit doctissimus Jo. Schulting. in Notis ad Calpurnii Flacci *Declam. 17.* pro *usurpavisse* positum, i. e. usucapionem interrupisse, simili ratione, qua *multatus est* pro *multavit* dixerunt veteres. Sensu vero atque recto, si eam lectionem retineamus. Quod vero in Lemmate habetur, Conanus *VIII. Comm. 3.* aut falsum putat, aut a sciolo quodam male explicatum, aut sic intelligendum esse, quam maritus non jure usurpavisset i. e. *usurpatum misisset.*

Macrobius, qui hæc Gelliana I. Saturnal. 3. totidem verbis transcripsit, habet: LEGE NON ISSE VSVRPATVM, atque ita legendum videtur, cum & mox apud ipsum Gellium, eadem de muliere legantur, scilicet quæ VSVRPATVM ISSET, quam quidem lectionem

nem nec Schultingius nec Gronovius rejiciendam putarunt, quamvis ab hoc in alienissimum sensum sit accepta: dicitur usurpatum iisset pro usurpasset, ire enim aliorum verborum supinis junctum periphrasin facere Critici observant. Ut est apud Plautum *Pers. I. I. 12.* aliena bona ire ereptum i. e. eripere, & apud eundem *Mil. III. 1. 26.* ire opitulatum i. e. opitulari, sed tamen argumentum *c. 2.* cum mulierem referat, non quæ usurpatum iisset, ut est in contextu, sed quam maritus non jure usurpavisset, non potuit dare turbas, atque in iisdem dispellendis eruditorum ingenia exercere.

Usurpare uxorem, pro usurpatum mittere unquam acceptum esse, vereor, ne idoneo auctore non possit comprobare Conanus, nec, quod jam supra dictum, juris rationi convenit maritum fingere usucapturum & simul usurpatum mittentem, & quanquam cum ipso Conano Rævardus *ad L. XII. c. 21.* & qui dedita opera id sibi exempli sumsit demonstrandum Henricus Stephanus *Noctibus Parisinis n. 35. & sqq.* in eandem sententiam concurrerunt, ut inscriptiones capitum existimarent non esse Gellii, sed cujusdam Pseudo-Gellii & de Avieno conjecerit Thysius, attamen Gellio easdem vindicavit Gronovius, ut dari manus postulet rebus ipsis & optimorum codicum autoritati *Comment. in Gellium p. 13.*

Sed haud ſcio, an Codicum autoritate, iisque indiciis, quæ Gronovius attulit, id quod eſt in quæſtione, eſſe eadem capitis argumenta ipſius Gellii, evidenter poſſit demonſtrari, & ſi rebus ipſis hic manus dabimus, ut dandæ ſunt, auctoritate codicum optimorum, quibus inſcriptiones repræſentantur, nequicquam eam proficiente certum eſt, quemadmodum alibi, ita hoc loco inſcriptionem capitis tertii ipſi doctrinæ Quinti Mutii de muliere uſurpatum eunte non omnino convenire.

§. XI.

Vidimus de uxore uſurpatum eunte, ſive uſucapionem interruptura, excutiendus nunc uſurpandi modus, trinoctiali mulieris diſceſſu Lege XII. Tabularum definitus. Verba Legis XII. Tabularum ex doctrina Q. Mutii Scævolæ apud Gellium ſic effinxit Paulus Merula *de Legibus Romanorum c. XIV.* SI MVLIER, QVÆ ANNVM APVD VIRVM MATRIMONII CAVSA FOVIT, NEI TRINOCTIVM OESERPATVM IERIT AF VIROD VESOCAPITVR. Aliter in eundem tamen ſenſum Jac. Gothofredus *ad L. XII.* & Gravina *de Orig. Juris L. 2.* in fin. Tab. VI. MVLIERIS, QVÆ ANNVM, MATRIMONII ERGO APVD VIRVM REMANSIT, NI TRINOCTIVM AB EO VSVRPANDI CAVSA ABFVIT, VSVS ESTO.

De-

Debuit autem uxor, quæ ex Lege XII. usurpatum isset, usucapionem interrumpere non quovis indicio voluntatis, sed ipso suo discessu, non quolibet, sed trinoctiali, & quidem antequam sequens & novus annus exordiretur, sic impleto, ut etiam singula momenta computentur, colligente ex doctrina Quinti Mutii Balduino *in Scævola p. 289.* Usurpandi enim tempus erat usque ad alterius & sequentis anni initium, si modo ante illud, trinoctium, quod ex Lege XII. usurpandi causa abesse debuit, potuerit impleri. Hinc *non isse usurpatum mulierem* Scævola ait, *quæ Kalendis Januariis apud virum causa matrimonii esse cœpisset, & ante diem quartum Kalendas Januarias sequentis usurpatum isset. Non enim posse impleri trinoctium, quod abesse a viro usurpandi causa ex duodecim Tabulis deberet; quoniam tertiæ noctis posteriores sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex Kalendis.*

ANTE DIEM IV. KALENDAS IANVARIAS; i. e. ipso die quarto Kalendas, sive die 29. Dec. ante diem pro ipso die veteres dixisse nota res est, & infinitis exemplis apud Ciceronem comprobatur, quomodo is qui ita stipulatur: ANTE CALENDAS PROXIMAS DARI SPONDES nihil differt ab eo, qui Calendis dari stipulatur *L. 13. L. 56.* §. 5. *ff. de V. O.* & quod nunc breviter dicemus *quarto Kalendas* fuse & explicate veteres dicebant *quarto die ante*

ante diem Kalendarum, qua tamen locutione ipsæ Calendæ comprehenduntur. Balduinus in *Scævola p. 286.* Quæ igitur IV. Kalendas sive d. 29. Dec. usurpatum ivit, non potuit implere trinoctium, rationes sic inivit & recte quidem Gronovius: prima quidem nox inter quartum & tertium Kalendas integra est. Secunda inter tertium & pridie Kalendas item solita est, at tertia non est integra, quia horæ post meridiem noctis sive post sextam non sunt diei præcedentis, qui annum finit, sed Kalendarum Januariarum, quæ novum annum incipiunt. Res ita habet. More Romano dies a media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur, ita quicquid in his viginti quatuor horis i. e. duabus dimidiatis noctibus & luce media actum est, perinde est quasi quavis hora lucis actum esse verbis Pauli in *L. 8. de Feriis.* Est is civilis dies, quem Sacerdotes Romani definiverunt a nocte media in mediam, teste Plinio *II. 77.* Populum autem Romanum ita, uti Varro dixit, dies singulos annumerare a media nocte usque ad mediam noctem multis argumentis apud Gellium ostenditur *Lib. III. c. 2.* Quæ igitur sex posterioribus noctis horis fiebant, eo die fieri dicuntur, qui proximus eam noctem illucescit. Gellius *d. c. 2.* Nox apud Romanos duodecim horis constabat, totidemque dies. Illa exordiebatur ab hora sexta, quæ apud

apud illos erat prima, & finiebatur hora ſexta matutina, quæ ipſis erat duodecima. A media itaque noćte ſive ab hora nobis prima, ipſis ſeptima civilis dies numerabatur, ut ſex poſteriores nobis horæ, ſcilicet 1. 2. 3. 4. 5. 6. esſent pars diei, qui illas proxime illuceſceret. Balduinus in *Scævola p. 286.* Ant. Auguſtinus *IV. Emend. 14.* Alciatus *L. 2. d. V. S.* Cujacius *XV. O. 32.*

§. XII.

Uſucapionis annus quomodo computetur.

Sed diſpiciendum nunc propius, quomodo uſucapionis annus in uſucapione uxorum computetur, ut uſurpandi ratio inde eluceſcat dilucidior. In uſucapione ita ſervatur, ut etiamſi minimo momento noviſſimi diei poſſeſſa ſit res, nihilominus repleatur uſucapio, nec totus dies exigitur ad explendum conſtitutum tempus. Venulejus in *L. 15. pr. ff. de diverſ. tempor. præſcr.* Et in uſucapionibus non a momento ad momentum, ſed totum poſtremum diem computamus, docente Ulpiano in *L. 7. ff. de Uſurp.* & uſucapionibus, i. e. in uſucapionibus totos dies computamus, non ut cujusvis diei ſingula momenta numeremus, ſed ſufficiat ad implendam uſucapionem die noviſſimo ejusque minimo tantum momento poſſediſſe, hac ratione enim exponit idem Ulp. ſequente *L. 8. ff. eod.* *Ideoque*, ait, *qui hora ſexta* DIEI *Kalen-*

lendarum Januariarum (quæ nobis eſt hora XII. a meridie) *poſſidere cœpit, hora ſexta* NOCTIS *pridie Kalendas Januarias* (quæ nobis eſt hora XII. mediæ noctis) implet uſucapionem.

Quæ in uſucapione generatim ſervantur, ut poſtremus anni dies cœptus pro impleto habeatur, eadem & in uſucapione uxorum obſervata fuiſſe, juris ratio nos non ſinit dubitare, quamvis uſucapio aliquando non potuerit ideo ſtatim primo momento poſtremi diei impleri, quod jam ante poſtremum diem interrumpi cœpta, & ex natura interruptionis, prout Lege XII. definita exſpectandus ſit finis jam cœptæ interruptionis, nimirum utrum trinoctium ante initium novi anni poſſit impleri. Eveniunt hæc in uxore ante diem V. Kal. Jan. ſive die XXVIII. Decemb. uſurpatum eunte, utpote quæ ſic implet trinoctium, ut per noctem dimidiam ſive ſex noctis horas abſit, quæ jam ſunt prid. Calend. ſive poſtremi diei, qui quidem quamvis cœptus alias habeatur pro impleto, hic tamen haberi pro exacto non poteſt, quoniam jam ante noviſſimum diem uſucapio interrumpi cœpta, adeoque vis atque poteſtas uſucapionis omnis pendet a trinoctio ante initia novi anni ex L. XII. adimplendo. Qua quidem ratione difficultates, quæ ſubortæ Balduino, videntur poſſe ſuperari. Is autem in *Scævola*

p. 291.

p. 291. de computando anno usucapionis sic disputat. *Quod dicimus*, inquit, *postremum diem cœptum hic haberi pro completo: si fuisset Mucii quoque temporibus receptum in usu uxores superior quæstio Mucianaque sententia nihil habuisset difficultatis. Nam ea pridie Kalendas Januarias prima statim ejus postremi diei hora, est completa usucapio annua, ne duabus quidem noctibus mulier prius usurpasse in proposita specie dici posset: tantum abesset, ut tertiæ noctis partem unam illa usurpatio ante usucapionem impleret. Itaque dubitari posset, an in usu uxoris tam facile usucapio impleretur, quam in aliarum rerum usu. Nam & hoc dissimile quoque est, quod usurpatio in aliis rebus vel in uno die aut etiam hora una intelligi possit.* Hactenus Balduinus. Atque eo tandem se abduci passus Balduinus, ut Scævolam existimaret similem in usu uxoris computationem secutum, quam in temporalibus actionibus admiserunt Juris auctores, in quibus nisi novissimus dies totus compleatur, non finiri obligationem Paulus docet *L. 6. de obl. & Act.*, hunc quidem in modum, ut, quemadmodum ad rem vitiosam, e. gr. Calendis Januariis hora diei sexta (nobis duodecima) emtam redhibendam mihi dantur sex menses, ut, donec venerint Calendæ Juliæ, redhibere possim, sed prima earum hora amittam actionem: sic ad hujus similitudinem in usu uxorum, si Calendis

lendis Januariis hora diei ſexta (nobis duodecima) illius conſuetudo mecum cœperit, antequam ventum ſit ad ſequentes Kalendas Januarias, & eæ revera & naturaliter cœperint, non ſit uſucapta uxor. Sit autem earum hora ſtatim prima: etſi ſuperſint adhuc ſex horæ usque ad momentum, quo primum uxor haberi cœpit. Etſi enim, inquit Balduinus, in temporalibus actionibus Paulus noviſſimum diem naturaliter æſtimet, ut tum demum dicatur totus completus, cum ad extremum ejus momentum ventum eſt, non tamen eum etiam producit ad diei ſequentis momentum, quo id cepit, de quo quæritur.

§. XIII.

Sententia Thomaſii uſucapionem uxorum negantis expenſa.

Qui de Jurisprudentia multis modis optime meritus illuſtris Chriſtianus Thomaſius *Diſſ. de Uſu Practico Inſtit. de Nupt. c. 1. §. 4. p. 15. & 16. & c. 1. p. 8. p. 31. & ſeqq.* circa conventionem in manum uſu in alia omnia ivit, nec Scævolæ doctrinam apud Gellium de uſucapione uxorum & ejus interruptione cenſuit accipiendam, cujus interpretationis primum inventorem putat Briſſonium, quem quidem licet adhuc dubitantem & hæſitantem ſecuti fuerint ceteri. Negat enim Thomaſius ullam unquam apud Romanos fuiſſe mulierum uſucapio-

capio-

capionem, atque conventionem in manum usu contra nuptias viri contractas non alias intelligit, quam quæ ex usu & consuetudine communi fierent, ut *supra* §. 4. fuit notatum. Sed vereor ne non viris doctis probari possint, quæ is prolixe satis contra uxorum usucapionem disputat. Usu uxores convenisse in manum *c. 2. §. 5.* contra Thomasium & alios fuit demonstratum, & qua ratione usucapio in uxoribus potuerit procedere, *hoc capite* §. 6. dedimus explicatum, ut ex iis, quæ ibidem, rationibus plane idoneis, fide & autoritate veterum confirmata sunt, omnia Thomasii dubia, quæ eidem ingentia visa, nullo negotio possint dispelli. Equidem non Brissonius primus ejus interpretationis inventor, ut Thomasio visus, sed jam ante Brissonium Gregorius Tholosanus *Syntagm. Juris universi. IX. 5. 31.* Cujacius *in tit. ff. de Usurpat. & Usucapionibus*, Conanus *VIII. Comm. 3.* Balduinus *in Scævola p. 284.* Carolus Sigonius *de Antiquo Jure civium Romanorum c. IX.* sententiam Mucianam apud Gellium *III. 2.* de usurpatione sive interruptione usucapionis ejus, quæ in uxoribus admissa, quæ impleta in mancipio viri esse cœperunt, explicandam existimarunt. Et quanquam cum commentaria ad L. XII. Tab. scriberet Balduinus, de sensu L. XII. apud Gellium dubitanter respondit, & in medio reliquit, quam quisque

in his tam obſcuris veſtigiis obſoletæ antiquitatis vellet ſequi conjecturam, aggreſſus tamen eandem *in Scævola* dare explicatam, *Experiar*, inquit, *an eam, quam eruditi hactenus interpretes ſatis exponere non potuerunt, utcunque explicare aliquando poſſim.*

Et ſane, quod quærit Thomaſius *p.34*: unde probaturi ſint doctores, 1) Gellium de nuptiis uſu contractis loqui. 2) uxores inſtar mancipiorum fuiſſe uſucaptas. 3) Contra quas, an contra ipſas uxores, an contra parentes earum aut tutores? Quæque ideo ſibi demonſtrari poſtulat, eaque quidem omnia videant eruditi, an non ſint ſuperioribus dedita opera abunde probata, & quidem primum *capite 2. §. 2.* & paſſim *cap. 6.* ſecundum *cap. 6. §. 6.* tertium *cap. 6. §. 6.* Addo, ut mancipatio uxoris contra parentem, ſi ejus eſſet mancipii, & contra ipſam, tutore tamen auctore, ſi ſui eſſet mancipii, proceſſit, cujus mancipationis ratio univerſa *cap. 5. §. 17.* expedita, ita & proceſſit uſucapio, cum & uſus mancipet, *Horat. II. Ep. 2.* & alienationis verbum etiam uſucapionem contineat *L. 28. d. V. S.*

Pergit Thomaſius p. 34. *certum eſt ad uſucapionem rerum mobilium requiſitam omnino fuiſſe bonam fidem, & vir, qui invitis parentibus ac tutoribus fœminam eorum poteſtati ſubjectam uxorem ſibi fieri vult, & in domo ſua detinet,*

detinet, haud dubie est in mala fide. Ergo quis, cui vel tantillum sanæ mentis restat, crederet Legem XII. Tab. favere voluisse malæ fidei possessori ad infringendam potestatem patriam aut tutoriam. Sed quod pace viri summi dicere liceat, rationem conveniendi in manum usu non videtur ex Romanorum scriptoribus penitus percepisse. Neque enim, quod supra §. *6.* jam ostensum, est quod de bona fide requirenda amplius laboremus, quæ posteaquam ex utraque parte concurrit, effectus dominii ex justa matrimonii causa transferendi & accipiendi, scilicet patris & tutoris autoritas veniendi in mancipatum, & mariti animus sibi habendi in marito usucapiente est conspicua.

Sed & aliud movet Thomasius *p. 32: Taceam*, inquit, *hoc modo novum scrupulum prioribus graviorem oriri, de quo cur nemo, quem legi, mentionem fecerit, valde miror. Si solum hæ nuptiæ sunt illæ, quæ usu fiebant, cum quis possidet absque ritibus & solennitatibus uxorem, cum animo usucapiendi, qualesne jam erant nuptiæ, ubi absque confarreatione & coëmtione quis viduam parentibus orbatam factis sponsalibus, & confectis instrumentis dotalibus coram testibus domum duceret. Sane hæ non erant confarreatæ nuptiæ nec coëmtione factæ. Nec etiam, secundum illam subtilem & arte conquisitam nuptiarum usu*

definitionem poterant ad nuptias usu referri. Ergo aut dicendum erit quatuor esse genera nuptiarum, quod nemo antea vel in somno sibi imaginatus erat, aut fatendum nuptias usu per istam loci Gellii enucleationem magis esse obscuratam quam expositam. Respondeo vel binis verbis, esse has nuptias, quas proponit Thomasius, eas quæ sine conventione in manum contrahuntur, cum eadem uxor tantummodo habetur, & matrona appellatur. Vid. *c. 1. n. 1.* Uxorum enim duæ sunt formæ, una earum, quæ in manum convenerunt, altera earum, quæ uxores tantum sine in manum conventione habentur. In manum autem convenitur aut confarreatione aut coëmtione aut usu. Atque sic omnia bene cohærent, sunt plana & expedita.. Duas has uxorum formas, nec minus tres in manum conveniendi modos agnoscunt Gerhardus Noodt *II. Probabil. 9.* Schulting. *Jurisprud. Antej. p. 34. & 591.* Petrus Pithoeus *ad Coll. LL. Mosaicarum & Rom. Tit. XVI.* Strauch. *Diss. ad Jus Justin. V. p. 7.* Everhardus Otto *Diss. de Feminar. Tutela perpetua §. 21.* vid. *c. 2. §. 5.* Ut sit igitur paulo confidentius & liberalius dictum a doctissimo Thomasio de hoc quarto genere nuptiarum neminem vel somno cogitasse. Denique quod apud Servium legitur usu nuptias fieri, si VERBI GRATIA anno cum viro sine legi-

legibus fuiſſet, quod quidem urget Thomaſius ad demonſtrandum ab eo, quod ſaltem exempli loco poſitum in univerſum nuptias uſu factas definiri non potuiſſe, tanti non eſt, ut contra fidem & autoritatem veterum mereatur attendi. Etenim aut eſt non tam exempli, quam declarandi, atque nuptias, quæ uſu fiunt, explicandi cauſa additum aut ab imperita manu ſcholiaſtæ, qua utique Servium contaminatum conſtat, inſulſe adjectum.

Aliam quidem Thomaſius *p.35. & 36.* tentavit loci Gelliani explicationem & doctrinæ Mutianæ *L. 43. ff. ad Leg. Juliam de Adulteriis* ſic accommodavit, quaſi hæc ſit ſententia Legis XII: *Mulieris, cui ſine lege repudium miſſum, quæque annum matrimonii ergo apud virum bona fide fuit, niſi trinoctium ab eo uſurpandi ergo abeſſet, uſus eſto,* quam ſic explicat Thomaſius: *quod ſi maritus prior intra annum ad minimum per triduum non uſurpaverit uxorem injuſte dimiſſam, lex hæc vel præſumſit, tacite eum dereliquiſſe eam, aut lex neglectum ejus punivit, ac bonæ fidei maritum ſecundum adverſus ipſum tueri voluit.* Sed nihil omnino eſt apud Gellium de uxore, cui ſine lege repudium miſſum, ſed agit Mutius de uxore, quæ matrimonii cauſa apud virum eſt, & non lege i. e. non rite it uſurpatum, nec eſt quicquam apud Cajum in *d. L. 43.* de uxore, quam maritus prior præſumitur dere-

 liquiſſe,

liquiſſe, ſed quæ ideo adhuc nupta priori marito videtur, quod ex lege eidem repudium miſſum non eſt: namque ſi non ſecundum legitimam obſervationem divortium factum ſit, non videtur ſolutum matrimonium *L. 31. de donat. inter virum & uxorem* & lex Julia de adulteriis, niſi certo modo divortium factum ſit pro infecto habet *L. unica ff. unde vir & uxor.* nec quæritur apud Cajum *d. L. 43.* an tuendus ſit ſecundus adverſus priorem, nec quæri amplius potuit, poſteaquam pro re exploratæ veritatis attulerat Cajus, non nuptam poſteriori marito videri, in quæſtione erat, an cum hac, quæ non nupta erat, adulterium committeretur? & reſpondit cum Juliano Cajus, *adulterum non eſſe, quia adulterium ſine dolo malo non committitur, quanquam dicendum ne is qui ſciret eam ex lege repudiatam non eſſe, dolo malo committat.*

CAP. VII.
DE VXORE TANTVM.
§. I.

Ordo Capitis.

VXorum duas probavimus fuiſſe formas, VNAM earum, quæ IN MANVM CONVENISSENT *Farre*, *Coëmtione* & *Vſu*; ALTERAM earum, quæ VXORES TANTVM, SINE IN MANV CONVEN-

VENTIONE haberentur. De illis superioribus capitibus actum, de his autem jam est dicendi locus. Ut autem hæc uxorum species eo melius dignoscatur, quæ quidem a viris doctis multifariam sive cum uxore, quæ confarreatione, & usu in manum convenit, sive cum uxore injusta sive concubina sive pellice commiscetur, videamus primo, quænam uxor tantum? quomodo & cum illa verum fuerit & esse debuerit connubium? deinde excussis variis eruditorum de uxore tantum sententiis, examinemus, qua ratione eadem ab uxore, quæ in manum convenit aut farre aut usu, nec minus ab uxore injusta, denique a concubina & pellice recte distinguatur.

§. II.

Quæ sit uxor tantum.

In matrimonium convenisse uxorem tantum, dubitari non debuit, cum sic eam definiant veteres autores, *quæ in* MATRIMONIO *cum viro convenit*, Gellius *XVIII. 6.* Serv. *XII. Æneid.: quæ in* MATRIMONIO *est mariti*, Nonius *c. V. §. 12.: quæ tantummodo* VXOR *habetur* Cic. *Top. c. 11: quæ tantum* VXOR *est* Boëthius *in Top. Cic. L. 2: quæ sine in manu conventione* VXOR *est* Ulp. *XXVI. §. 7.* Particulam *tantummodo* sive *tantum* notanter addiderunt Cicero atque Boëthius, qua quidem secernitur ab altera uxorum forma puta a matrefamilias, *quæ*, ut Gellius ait, *non in matrimonium*

nium TANTVM, *sed in familiam quoque mariti venit.* Est igitur uxor tantum, quæ INTERCEDENTE CONNVBIO ducta, quo interveniente liberi patrem sequuntur Ulp. *Fragm. V.* §. *3.* quæ IN IVSTO EST MATRIMONIO, ex quo liberi nati sunt in parentum potestate Ulp. Fragm. *V.* §. *1.* Sed non satis est ad definitionem uxoris, addenda enim ex Cicerone particula TANTVMMODO, sive ex Gellio & Boëthio particula TANTVM. Hac enim, ut modo dictum est, ab uxore, quæ in manu est, separatur, ut adeo uxor tantum ea habenda sit, quæ legitimis sive justis nuptiis viro in matrimonium convenit, non simul in ejus manum, familiam & potestatem, quales NVPTIÆ TANTVM sunt eædem, quæ vulgo contrahuntur, de quibus totus est *titulus Institut. de Nuptiis*, & in Libris Pandectarum de *Ritu nuptiarum*, & plena manu egerunt Brouver. Tr. *de Jure connubior.* Brissonius de *Ritu Nuptiarum* atque alii, imo omnes, qui ad Instit. sive Pandectas commentati sunt, quæ quidem sunt, ex definitione Justiniani §. *1. J. de Nupt.*: *Viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens*; & ex definitione Modestini in *L. 1. ff. de Ritu nuptiar.* *Conjunctio maris & fœminæ, & consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio*, in quibus omnia nuptiarum solennia, deductionem in domum, signationem

nem tabularum, quarum mentio in *L. 66. ff. d. Donat. in. virum & uxor.* atque alia, (de quibus passim superioribus capitibus actum, & quorum quasi indicem dabimus infra §. 7.) præterquam ea, quæ confarreationi & coëmtioni propria fuerunt, intervenisse manifestum est. Neque enim in legislatione Justinianea, sive in Pandectarum & Institutionum libris sive in Codice alia species uxorum occurrit, quam earum, quæ uxores tantum habebantur, nulla † uxorum, quæ simul in manum convenerant, nisi quod videatur, inadvertente Triboniano in *L. 195. §. 2. d. V. S.* in verbo matresfamilias vestigium conventionis in manum remansisse.

† Putant Cujacius ad Ulp. *Fragm. IX.* atque Janus a Costa *pr. J. de nupt.* vestigia conventionis in manum superesse in *L. 15. de Ritu Nupt. L. 121. §. 1. d. V. O. L. 17. pr. ff. de actione rerum amotarum*, in quibus pro *in manum convenire* scripserit Tribonianus *in matrimonium convenire*, putat quoque Cujacius *VII. Obs. 11.* Edictum prætoris in *L. 2. ff. qui satisdare cog.* de in manum conventione egisse, & scripsisse prætorem hunc in modum: EAMVE QVAM IN POTESTATE HABEBIT VEL VXOREM VEL NVRVM, pro *eumve quem in potestate habebit vel uxorem vel nurum arg. L. 2. in jus voc. ut eant*, adeoque verbis quam in potestate habebit intelligi uxorem vel nurum, quæ in ma-

nu est, non liberos in potestate existentes, utpote quos edictum jam comprehendisset his verbis: LIBEROSVE SVOS. Sed sane ea locutio: CONVENIRE IN MATRIMONIVM. in *L. 15. d. R. N.* & *L. 121. §. 1. d. V. O.*, & *L. 17. ff. de actione rerum amotarum* Triboniano adscribi non debuit, recte notante Schultingio *Jurispr. Antejust. p. 591.* Est enim uxoribus tantum propria, utpote quae dicuntur in matrimonium convenire Gell. *XVIII. 6.*, Serv. *XI. Æneid.* Deinde decisio d. *L. 15. de R. N.* ad utramque uxorum formam commode potest applicari; cum uxore vero, quae sine conventione in manum habebatur, tantum potuit esse rerum amotarum actio, nulla cum matrefamilias vid. c. III. §. 10. adeoque in hac quaestio *L. 17. ff. de Act. rer. amotar.* de uxore quae contra mandatum in matrimonium convenit, est plane incongrua. Pari modo quae habentur in *d. L. 121.* ad uxorem tantum debent restringi, cum, quae in manu est uxor, sicut filia in patris, omnino ab eo, cui in manum convenit, stipulari non possit, §. 6. *J. de Inutil. stipulat.* ut hactenus discedamus a viro doctissimo Ant. Schultingio, dicta in locis illis in omnibus Connubiis obtinuisse, existimante. Porro verba Edicti in *L. 2. §. 2. qui satisd. cog.* legenda sunt, ut edita vulgo leguntur. Fateor, ex sententia Edicti sub *liberorum* appellatione, & his verbis, quae ad meliorem rei declarationem sequuntur: *eum quem in potestate habebit*, non

posse

posse non comprehendi uxorem, quæ est in manu, cum & hæc veniat in filiæ locum, & sit in mariti potestate: Prætorem vero uxorem, quæ in manu est, diserte nominasse verbis, quæ emendare tentavit Cujacius, negamus. Neque opus erat hanc diserte appellare, utpote quæ ex mente Edicti jam contineretur, uxorem autem tantummodo & nurum nominare necesse erat, cum vellet Prætor, ut & pro his qualiscunque fidejussor acciperetur, vid. Noodt. *Comm. ff. qui satisdare cog.*

De Didaco Altiserra *L. 71. ff. de Jure dot.*, & *L. 1. §. 1. ff. pro dote*, quibus agitur de universis bonis in dotem datis, perperam de conventione in manum accipiente dictum *Cap. 3. §. 24.* Interim, quod cum Bœckelmanno *Comm. ad ff. §. 28. de Ritu Nupt.* Schultingius conjicit *Jpr. Antej. p. 34.* dubio procul Tribonianum memoriam uxorum, quæ in manu essent, extare in libris Romanarum legum noluisse, verissimum est, atque non solum apparet ex Caji *Inst. Lib. III.* de successionibus legitimis *collat. LL. Mos. & Romanar. Tit. XVI.* ubi inter suos hæredes & uxor, quæ in manu est, connumeratur, de qua nihil Justinianus in Institutis suis, cum verba Caji §. 2. *Instit. de hæredit. quæ ab intestato* transcripsisset, & Annianus Caji *Inst. L. II. 8.* addiderant, notante ad Cajum *d. l.* Aleandro, sed etiam ex aliis locis potest ostendi, ubi ea, quæ ad uxorem in

in manu attinebant, & a juris autoribus de eadem notata, Tribonianus resecavit.

§. III.

Uxor tantum an ex jure Quiritium uxor cum connubio?

Vir summus Gerardus Noodt *II. Probabil. 9.* nuptias *ex Jure Quiritium* eas solas videtur intellexisse, quibus non in matrimonium tantum, sed quoque in manum *Usu*, *Farre*, aut *Coëmtione* conveniatur, has enim quasi ex jure Quiritium contractas distinguit à *nuptiis tantum*, iis nimirum, quæ sunt ex definitione Modestini in *L. 1. ff. de Ritu Nupt. conjunctio maris & feminæ, consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio*. Matrimonii verbo OMNIA MATRIMONIA demonstrantur *L. 13. §. 1. ad Leg. Jul. de Adult.* cum ea, quæ IVRE GENTIVM contrahuntur, & omni juris civilis effectu destituuntur, quo sensu à Papiniano civis Romanus SINE CONNVBIO sibi peregrinam IN MATRIMONIO dicitur habuisse *Coll. LL. Mosaicar. & Roman. Tit. IV.* & vir uxorem adulteram non *jure mariti*, sed jure extranei accusare *d. L. 13. ad L. Jul. de Adult.* Pithoeus *Coll. LL. Mosaicar. & Roman. IV. 5.* tum illa, quæ ex IVRE QVIRITIVM fiunt, quæque proprie sunt IVRIS CIVILIS, & justæ sive legitimæ nuptiæ, quas inter se cives Romani contrahunt, IVRE LEGITIMI MATRIMONII sive CONNVBII jure, Cajus *Lib. 1. Inst. Tit. 4.*

Justin.

Justin. *pr. T. de Nupt.* Serv. *I. Æneid.* Schulting. *Jpr. Antej. pag. 748.* quæ & ipsæ a veteribus scriptoribus & in libris Romanarum Legum MATRIMONII NOMINE solent significari, Gell. *XVIII. 6.* Quintil. *Lib. 5. Inst. Oratoriar. c. 10.* Plane utrique uxorum apud Romanos formæ, cum earum, quæ in matrimonium tantum, tum illarum, quæ & in matrimonium & simul in manum mariti convenerunt, fuit legitimi matrimonii jus, quod ipsum ex Servii *I. Æneid.* definitione jus connubii, ut utraque, sive uxor tantum, de qua agunt, quæ in Pandectarum libris supersunt Jureconsultorum Fragmenta, sive materfamilias, quæ in manum & familiam mariti venisset, ex jure Quiritium esset uxor, & cum connubio in matrimonio haberetur.

Connubium ergo quid est? Est *uxoris jure ducendæ facultas*, quod habent cives Romani cum civibus Romanis: cum Latinis autem & peregrinis ita, si concessum sit autore Ulp. *Frag. V. §. 3. 4.* Sunt enim ex jure Quiritium hæc connubia.

Quiritium jus est *Civis Romani privilegium*, ut appellat Valent. *Novellar. Tit. VI.* quodque Quiritium jus dicunt, mox *civitatem Romanam* appellant, adeoque promiscue hæc ponunt Ulp. *Fragm. VII. 2.* Plin. *Lib. V. c. 5.* notante Spanhemio *de Orbe Romano. Exerc. I. c. 10. p. 80.* Non semper tamen pro eodem haberi

beri Jus Quiritium & Romanæ civitatis, sed à se invicem distingui, v. Plin. *L. X. Ep. 4. Ep. 6. & Ep. 32.* & illo nimirum Quiritium jure privata & propria civium Romanorum jura, libertatis, connubiorum, legitimi dominii, hereditatis, usucapionis, nexus; hoc seu Romana civitate, (de qua Cic. *in Rullo II. 19.*) plenum civitatis jus non tantum privatum, sed insuper publicum, puta suffragiorum, honorum Romæ adipiscendorum, census, tributorum, vectigalium demonstrari ostendit & probat Spanhemius *d. c. 10.* & *Ex. 2. c. 5. p. 228.* & ex eo observat Schulting. *Jurispr. Antej. p. 574.*

Connubii jus quamvis Quiritium jus esset ac civium Romanorum proprium, fuit tamen & aliis quoque concessum olim a populo, Liv. *XXXVIII. 36. XLIII. 3.* postea ab Imperatore, Boëth. *in Top. Cic. L. 1.* cujus exempla concessi connubii sunt etiam in uxoribus jam ductis, in Inscriptionibus apud Gruterum & Bellorium, notante Schultingio *Jurisprud. Antej. p. 578.* Fuit antiquis liberæ urbis temporibus, quemadmodum a viro illustri Ezech. Spanhemio *de Orbe Romano p. 521.* animadversum, connubiorum jus finitimis populis atque civitatibus non demum post concessam iisdem à Romanis civitatem, *sed etiam ante eandem*, datum. Hinc de Campanis Liv. *XXXI. c. 31.* ait, *ipsos fœdere* PRIMVM, *deinde* CONNV-

BIIS,

BIIS, atque inde cognationibus, *postremo* CIVITATE *nobis conjunximus*, & de civitate, quæ plus quam connubium sit, apud Liv. IV. 3. Canulejus Tribunus pl. *nos quidem* CIVITATEM, *quæ* PLUS QUAM CONNUBIUM *est*, *nostris etiam victis dedimus*: sicuti olim e contrario non omnibus, qui civitate donati erant, connubia olim data fuerunt. Spanheim. *de O. R. p. 519. 520.* nisi quod tandem constitutione Antonini Caracallæ in *L. 17. ff. d. statu Hominum* & apud Dionem Cassium *Excerpt. Peirescianis p. 745.* cum civitate, in urbe Romana cum omnibus liberis hominibus communicata, simul sit communicatum connubium Noodt *comm. ad ff. de Ritu Nupt. p. 487.* Quæ quidem omnia, & universam connubiorum rationem, posteaquam plenissime exposuit Spanhemius *d. Orbe Romano Exerc. II. c. 22.* eo lectorem remittimus. add. Schulting. *ad ff. §. 13. 14. 15. de statu hominum.*

§. IV.

Variæ de uxoribus tantum sententiæ.

Interim de uxore tantum mira inter viros eruditos dissensio, ut enarrare longum sit, quam quisque sibi uxorem tantummodo finxerit. Uxorem tantummodo, quæ in manum non convenerit Farre, Coëmtione & Usu, *injustam uxorem* Rævardus *IV. Var. 16.* putat, atque eam, quam *sola consuetudo uxorem* facit, & cum qua *jus* esse *connubii* leges non patiun-

tur,

tur, ut proinde dubium non ſit, quin ea uxorum ſpecies, quæ matresfamilias non erant, ad uxores injuſtas referenda ſit. Sic etiam Pitiſcus de uxore ſine in manu conventione, qualis eſt uxor tantum, in *Uxor injuſta*, inquit: *Uxor* INIUSTA *dicebatur, quæ non rite domum per aliquam in manus conventionem ducebatur, qui civem Romanam honeſtæ vitæ, ingenuam vitiatam, is qui vitiavit* SOLA CONSUETUDINE, SINE ALIQUA IN MANUS CONVENTIONE *uxorem nanciſcitur.* Nec a ſententia ſive Rævardi ſive Pitiſci alienus Petrus Faber *II. Semeſtr. 23. p. m. 309.* quando UXOREM INIUSTAM cenſet, quæ MATRONA quidem, ſed CUM VIRO ESSET SINE LEGIBUS, quod in mariti manum non conveniſſet, & uxor tantummodo haberetur. Idem & doctiſſimo Juriſconſulto Antonio Goveano videtur *L. 2. de Juriſd. p. m. 114. & 115.* placuiſſe, rato, INIUSTAS UXORES apud Ulp., ſive uxores tantummodo apud Cic. eſſe eas, de quibus Modeſtinus in *L. 24. d. R. N.* dixit in LIBERÆ MULIERIS CONSUETUDINE *non concubinatum, ſed nuptias intelligendas eſſe*, de quo uxorum genere, quæ viris matresfamilias non eſſent, doctrinam Modeſtini de nuptiis ex MULIERIS CONSUETUDINE præſumtis accepit quoque Ludewig. *Diſſ. de diff. Juris Rom. & Germ. in Suec. Conjug. Diſſ. 2. lit. ff.* Viro illuſtri Ulrico Hubero

Hubero *P. II. Digr. Lib. I. c. 17.* duo in mentem venerunt, unum, INIVSTAM VXOREM esse, quæ in viri manum non convenit, non quæ usu habita, cum & hæc usu convenerit in manum, sed quæ RITE VSVRPATVM ISSET; alterum, injustam uxorem esse, quæ SOLO CONSENSV, AFFECTV MARITALI SINE DEDVCTIONE solenni, haberetur, ac proinde vera uxor fuerit. Et sane & ii, qui conventionem in manum existimant fieri confarreatione sive coëmtione tantum, non usu: aut sola coëmtione, non farre & usu, vid. *c. 2. §. 7.* non possunt non, *uxorem sine in manum conventione*, habere eam, quam sive farre sive usu probavimus in manum convenisse, atque eo etiam itum est à Josepho Laurentio *Polymath. L. III. de Sponſ. Synops 8.*, & Gabriele Paleotho *de Nothis C. III.* qui posteaquam cum Cic. *Top. III.* duo uxorum genera fecerant, unum uxorum, alterum matrumfamilias, uxorem existimarunt usu & confarreatione, matremfamilias sola coëmtione fieri. Consentit Alciatus in *L. 46. d. V. S.* Imo uxores Usu, VXORES TANTVM, matronas, matrimonii duntaxat causa, non matresfamilias haberi putarunt Brissonius *ad L. Jul. de Adult.* Gravina de *Origine Jur. L. III. §. 83.* Janus à Costa *ad pr. J. de Nupt.* Muretus *ad pr. 4. 5. de Nupt.* Brouwer. de *Jure Connub. L. 1. 8.* Franc. Hotomannus *Antiq. Rom. L. 2.*

Anton. Hotomannus *Obſ. ad veteres ritus Nupt. CXIII. n. 19.* Bœckelmannus *Comm. ad ff. §. 28. de Rit. Nupt.* quamvis ex his plerique uxores uſu in manum conveniſſe ipſi adſtruxerunt, quorum ſententia falſa ac plane incongrua & inconveniens, niſi ea, qua dixi ratione, de uxore, quæ uſu, h. e. matrimonii conſuetudine intra annum uſucapionis ſive non impletæ, ſive trinoctiali diſceſſu interruptæ explicetur. v. *C. II.* §. 5. de qua & explicarunt Anton. Hotoman. *d. l.* Bachov. *ad Treutler. Vol. II. Diſp. 6. Th. 5. lit. a.* & Pithoeus *Coll. LL. Moſ. & Rom. XVI.*

Vir illuſtris Chriſtianus Thomaſius *Diſſ. de Nupt. c. 1. §. 8. & 9.* VXOREM TANTVM eſſe eam arbitratur, quæ apud Romanos ex VSV ET CONSVETVDINE COMMVNI fieret eadem fere ratione, qua ante eum Scipio Gentilis *de Donat. inter virum & uxor. L. II. c. 19.* Uxores tantum eas dixit, quæ IVRE GENTIVM ET VSV TANTVM erant uxores, vid. Anton. Hotoman. *c. XXIV.* Collegium Argentoratenſe *Comm. ad ff. §. 25. de Ritu Nupt.* At vero nuptiarum, quæ uſu fierent, duas Thomaſius *d. §. 9.* fecit ſpecies, unam, quæ SOLENNITATIBVS quibusdam, non tamen certis ſed arbitrariis & paucis iisque juris gentium; alteram, ubi MISSIS OMNIBVS SOLENNITATIBVS uxorem ſibi junxerat ipſo cohabitationis actu.

§. V.

§. V.

Est quoque VXOR TANTVMMODO, quæ TACITE maritali honore & affectione, per COHABITATIONEM inter pares demonstrato habetur *L. 31. ff. de donat.* sive cum sine celebritate nuptiali COEVNT LIBERORVM PROCREANDORVM GRATIA, Quintil. Declam. 147. in fine Serm. Namque & sola MATRIMONII CONSVETVDINE uxorem in modum IVSTÆ VXORIS posse propalam haberi, ex iis constat, quæ de Caligula narrat Suetonius *C. XXIV.* Et hactenus recte viri eruditi Rævardus, Pitiscus, Petrus Faber, Goveanus, Ludewigius nuptias, quæ ex doctrina Modestini in liberæ mulieris consuetudine intelliguntur, ad eas, quæ sine in manum conventione fiunt, retulerunt. Nec minus verum est, quod Huberus censuit, *uxorem tantum* eam existimari, quæ intra annum usucapionis VSVRPATVM IVIT, vel sine deductione solenni SOLO CONSENSV & AFFECTIONE MARITALI habita. Has tamen INIVSTAS non esse uxores, quo quidem loco, quos modo laudavi, omnes habuerunt, ex iis, quæ hoc capite de uxore tantum superius dicta, & infra de uxore injusta dicentur, fiet manifestum. Farre etiam atque usu in manum convenitur. Boëthii enim commentum sola coëmtione in manum conveni-

Examinantur & declarantur.

ri opinantis *cap. 2. §. 5.* confutatum. Quare quæ in manum convenit Farre aut usu, sine in manu conventione uxorem, i. e. uxorem tantummodo haberi non posse, res ipsa loquitur.

Quod visum Christiano Thomasio atque ante eum Scipioni Gentili, quo & quodammodo respexerunt Antonius Hotoman. & Jureconsulti Argentor. Comm. ad Pand. Uxores tantum esse, quæ ex VSV & CONSVETVDINE COMMVNI fierent, EX GENTIVM IVRE & VSV, vel cum solennitatibus sed arbitrariis, vel sine solennitatibus, id hactenus bene habet. Vulgo enim, maxime succedentibus temporibus, sine in manum conventione uxores habebantur, & rariores erant nuptiæ, quibus simul in manum conveniretur. vid. Schulting. ad *Ulp. IX.* Modo notemus etiam vulgatas has Romanorum nuptias, quamvis hactenus ex Gentium jure, scilicet consensu sive expresso sive tacito perficerentur: *ex jure Quiritium* tamen semper subnixas fuisse *facultati jure ducendæ uxoris, quæ ipsa est connubium*, sive legitimi matrimonii jus, adeo ut justa uxor non putaretur, quæ sine connubio ex gentium jure in matrimonio esset. †

† Qua ratione vulgatæ nuptiæ apud Romanos simpliciter EX IVRE GENTIVM SOLO CONSENSV contraherentur, egregie atque

que in mentem Thomasii explicat Noodt. *ad ff. d. Ritu nupt.* ita tamen ut connubii jus ubique requirat, ex cujus doctrina, ut uxori tantummodo lucem affundamus, quædam delibabimus. IVRE GENTIVM contrahuntur nuptiæ sive matrimonium simpliciter i. e. solo consensu *L. 30. d. R. N.* qui quomodo, quave forma interponatur, dum liqueat propositum coeundi liberorum procreandorum gratia, nihil refert Quintil. *Decl. 147.* interponebatur consensus EXPRESSE manifesta declaratione COIRE LIBERORVM PROCREANDORVM GRATIA, sive interveniant tabulæ nuptiales, Augustin. *Serm. 244.* sive sine scriptis ea de re fiat testatio *L. 4. ff. de pignoribus, L. 4. de fide instrum.* atque palam coram vicinis aliisque scientibus, *L. 6. ff. de his qui sui vel alieni juris, L. 9. c. de ritu nupt.* De Formula solenni: LIBERORVM PROCREANDORVM GRATIA: LIBERORVM PROCREANDORVM CAVSA: LIBERORVM CREANDORVM CAVSA: LIBERORVM QVÆRENDORVM CAVSA: LIBERORVM SIVE LIBERVM QVÆRENDVM CAVSA uxorem ducere, qua in tabulis nuptialibus, manifestum matrimonii consensum ex ejus fine, qui est procreatio sobolis, declarabant & a censoribus etiam jurejurando adseverare cogebantur, testimonia veterum collegit Brissonius *de Formulis p. 542. & 543.* & ad Gellium *IV. 3.* aliqua notarunt *Lambecius, Gronovius, Thysius* atque *Oisellius.* TACITO CONSENSV interponebatur maritali honore

ipsa MATRIMONII CONSVETVDINE declarato, de quo supra dictum. Addit novissime G. Noodt *inter pares*, quod probo: inter dispares enim sola cohabitatione sine testibus aut tabulis nuptias intelligi non siverunt veteres, & Justinianus vetat *L. 23. §. 7. c. R. N.* Quamvis autem nuptiæ vulgatæ solo consensu fierent, tamen & hæ quoque esse potuerunt, & fuerunt plerumque SOLENNES NVPTIÆ; quibus solennitates & ritus nuptiarum, ii qui confarreationi & coëmtioni non proprii & peculiares erant, accesserunt, quorum in numero erant 1) ut per FRVGES & MOLAM SALSAM conjungerentur, v. *C. IV. §. 5.* 2) ut in PELLE LANATA sponsa resideret. v. *C. IV. §. 10.* 3) ut FLAMMEO caput velaret v. *d. §. 10.* 4) ut AQVA & IGNE acciperetur. v. *C. IV. §. 11.* 5) CORONA redimiretur. Catull. *LXI. 7.*, Lucan. *II. 358.* Claudian. *de Laudib. Seren. n. 1.* eandemque sub amiculo ferret, Festus *in Corolla.* 6) e sinu matris RAPERETVR, Festus in *Rapi*, Catull. *LXI. 3.* 7) ut nuptæ indueretur RECTA TVNICA cum TOGA PVRA, Plin. *VIII. 40.* 8) vt sponsam comitaretur COLVS COMTA & FVSVS cum STAMINE; Plin. *d. l.* imo ipsa secum importaret, Plutarch. *Qu. Rom. XXXI.* 9) ut TRES PVERI PATRIMI adhiberentur, unus, qui facem præferret; duo, qui nubentem tenerent, Festus in *Patrimi.* 10) ut DOMVM nova nupta DEDVCERETVR, v. Brisson. *I. Anti-*

Antiquit. 18. quæ quomodo ad effectus quosdam adhibere debuerit notavit Gothofredus *ad L. 6. C. Th. de Tyronibus* & ex eo observat Schulting. *Jpr. Antej. p. 34.* 11) ut TABVLÆ NVPTIALES signarentur, Juvenal. *Sat. II. 119.* Sueton. *Claud. XXIX.* Brisson. *d. Formul. VI. p. 543.* 12) ut GENIALIS LECTVS in honorem genii sterneretur, Festus in *Genialis lectus* Serv. *Æneid. VI.* Juven. *Sat. X. 334.* & a patrimis & matrimis dimissa a pronubis in lecto geniali collocaretur, Catull. *LXI. 181.* Terent. Eunuch. *III. 5. 45.* Claud. *de Rapt. Proserp. 14. 361.* 13) ut DEXTRAS in conjunctione nuptiali IVNGERENT, v. *C. IV. §. 13.* 14) ut CLAVES nuptæ DARENTVR, Festus in Clavis, Cic. *Phil. II, 28.* 15) ut novæ nuptæ in domum deductæ HYMENÆVM occinerent, vid. *c. IV. §. 28. n. 1.* 15) ut in COENA NVPTIALI Plautus *Curc. V. 2. 61.* Sueton. *Cal. c. 25. n. 3.*, Apul. *Met. VI. p. 195.* TIBICINES adhiberentur, Ovid. *Met. IV. 757.* Capella *de Nupt. Mercur. & Phil. II.* 16) ut TRIPVDIIS & SALTATIONIBVS uterentur. Capella *d. l.* Apulejus *Metam. L. VI.* 17) CINGVLO nova nupta cingeretur, quo sponsus in lecto solveret, Festus *in Cingulo*, Varro apud Nonium. 18) ut LANEIS VITTIS postes ædium ornaret, & ADIPE LVPINO vel SVILLO eos ungeret, Plin. *XXVIII. 9.* Arnob. *III. p. 115.* Serv. *Æneid. IV.* 19) ut domum deducta LIMEN non contingeret, sed pedes tolleret, Lucan. *II. v. 359.* 20) ut nubentes ASSES TRES ad moretum fer-

rent, Varro apud Nonium. *XII.50.* vid. *c. V. §. 2.* 21) ut appellatione CAII & CAIÆ in nuptialibus sacris uterentur. vid. *c. V. §. 4.* 22) ut NVCES a MARITIS & PVERIS SPARGERENTVR Catul. *LXI.137.* Virg. *Eccl. VIII. 30.* 23) ut IVGVM conjungendis imponerent Serv. *Æneid. IV. 16.* Festus *in juges.* Horat. *Od. II. 5. 1.* Plaut. *Curc. 1. 1. 50.* 24) ut REPOTIA fierent, cum postridie nuptias apud novum maritum cœnaretur. Festus *in Repotia.* Quos quidem & alios nuptiarum ritus omnibus sine in manum conventionum nuptiis, imo & aliquando aliis gentibus (licet non omnia eodem modo peragerentur) cum Romanis communes sedulo excusserunt Antonius Guibertus Costanus *Commentario de Matrimonio*, Brissonius Casalius *de Ritu Nuptiarum*, Alexander ab Alexandro *L. II. Genial. Dier. c. 5.* & ad eundem Mercerus, Tiraquellus & Colerus, Antonius Hotomannus *Observ. ad veteres Ritus Nupt.* Pitiscus in *Nupta & Sponsus*, Conanus *VIII. Comm. 3.* Laurentius *de Sponsalibus.* Igitur cum nuptias solennes jure civili fieri tribus modis, Usu, Farre & Coëmtione significaret Gerhard. Noodt *d. l.* vulgatus sine in manu conventione nuptias non debuit sive prætermittere sive solennibus opponere, sicuti ex ejus doctrina vulgatas nuptias quasi minus solennes iisdem pari modo opposuit Daniel Luyken *diss. de Nupt. A. 1716. Lugd. B. habita* non debuit, quæ quamvis solo consensu contrahantur, utplurimum

rimum tamen, more Romano solenni ritu celebrantur, sic tamen ut iidem potuerint pro nubentium arbitrio sive adesse sive abesse; ita rescribunt Impp. Theod. & Valent. in *L. 22. C. de donat. ant. nupt. Si pompa aliaque nuptiarum celebritas omittatur, nullus existimet ob id deesse recte alias inito matrimonio firmitatem*; & vereor, ne non ubique & semper verum sit, id quod a viro egregio traditum tribus his modis civili jure solennes nuptias contrahi. Namque fallit in uxore, quae viro in manum convenit, quae nempe annali usu atque sine omni celebritate nuptiali venire in m[illegible] mancipium potuit; addo & illud solennitatibus confarreationis & mancipationis, utpote quae ingrediuntur in ipsam conventionis formam, non tam nuptias quam ipsam in manu conventionem fieri, sic ut omnino abesse haud potuerint, nec sine iisdem in manum conventio perfici. Ceterum *nuptiarum* appellationem aliquando *celebritatem nuptialem* significare, aliquando autem *nuptiarum* & *matrimonii* nomina *promiscue* usurpari jam ab aliis observatum est, vid. Hotomannus *disp. de Ritu Nupt. c. 1.* Noodt. *Comm. ff. de Ritu Nupt.* Oisel. & Schulting. *ad Caji Instit. Lib. I. 4.*

§. VI.

Differunt uxor tantum & quae in manu est

Ex his, quae hactenus de uxore tantum, copiose disputata, forma uxoris, quae sine in ma-

Forma & effectu.

num conventione habetur, & in matrimonium tantum convenit, ſatis credo eluceſcit, cujus quidem ratio evadit plana atque expedita, ſi modo animadvertamus ad particulam TANTVM ſive TANTVMMODO, quam notanter addiderunt Cicero atque Gellius, qua illa ab uxore, quæ in manu eſt, recte ſecernitur. Differunt nimirum uxor tantum ſive Matrona atque illa, quæ viro in manum convenit, eique materfamilias eſt, cum *Forma*, tum *effectu*. Illa fit *ſolo conſenſu* atque declaratione LIBERORVM PROCREANDORVM GRATIA COIRI, ſive expreſſa ſive tacita, nec ſolennia nuptiarum, quæ etiam omnia abeſſe poſſunt, quicquam ad formam harum nuptiarum adtinent. Ad hanc, quæ in manum convenit, ſolus conſenſus in nuptias non ſufficit, qui facit NVPTIAS TANTVM, NIHIL VLTERIVS, ſed requiritur QVID AMPLIVS, nempe aut ſolennitas confarreationis aut coëmtionis, aut forma uſucapionis, ut omnino abeſſe non poſſint, nec ſine in manum conventione perfici. Hæc de Forma, videamus de *effectu*. Uxori, quæ eſt in poteſtate, manu ſive familia, applicantur omnia familiæ jura, quibus ſive in familia proprio jure familiæ princeps ſc. parens & perſonæ ejus poteſtati ſubjectæ in familia communi jure plures perſonæ ſub unius poteſtate inter ſe continentur,

L. 195.

L. 195. §. 2. d. V. S. de quibus visum *Cap. III.* Contra uxori tantummodo, cum in mariti familia non sit, nulla familiæ jura, sed tantum IVRA CONNVBIORVM possunt accommodari, quæ, quoniam de iis communiter tractant Interpretes ad Pandectarum & Inst. libros, atque professa opera egerunt Brissonius, Brouwerus aliique, hic edisserere omnia plane esset supervacaneum.

§. VII.

Differunt Effectu quoad dotem & paraphernа.

Dicam tamen de bonis uxoris tantummodo iis, quæ sive jure dotium sive paraphernorum censentur, & de successionibus conjugum, matris & liberorum, cum sine in manum conventione nuptiæ contrahuntur, ut vel exemplis ostendam diversissimos juris effectus, cum sive in matrimonium tantum sive simul in mariti manum uxor convenit.

Uxorum bona apud Romanos erant tantum duplicia, aut DOTALIA aut extradotalia sive PARAPHERNALIA dicta a παρὰ φέρνη quasi præter dotem data. Addunt Doctores vulgo & RECEPTITIA, Cujacius *ad Fragm. Ulp. VI.* Francisc. Hotomannus *Disp. de Dote* c. I. & pro iisdem adserendis atque a paraphernis distinguendis disputant Ummius *Disp. ad Proc. IX. n. 3.*, Eyben *d. ff. de Paraphernis* §. *IV.* Sed eadem Receptitia sunt quæ Para-

Paraphernа,) recte notantibus Viris egregiis Franc. Balduino *Justin. p. 202.* Scip. Gentili de *Donat. inter virum & uxor. Lib. 1. c. 6.* & *Lib. II. 13.* Antonio Hotomannno *de Ritu Nupt. c. VIII.* Huberto Giphanio *ad L. 21. C. de Proc.* Ulrico Hubero *Præl. ff. §. 15. de Jure Dot.* Cornel. van Eck *ad ff. n. 3. Eod.* Neque enim sive juris autores sive Romanæ Leges unquam agnoverunt receptitia quædam bona a Paraphernis distincta † neque agnovit Justinianus, postquam *L. fin. C. d. Pact. conv.* marito concessit facultatem 1) EXIGENDI NOMINA, quæ uxor ei DEDISSET, VT PARAPHERNORVM LOCO APVD EVNDEM MANERENT, movendique SINE RATIHABITIONE VXORIS actiones, 2) EXPENDENDI VSVRAS circa se & uxorem IN COMMVNEM FAMILIÆ VSVM, 3) & contra uxori DE HYPOTHECA EX LEGE, ex quo maritus pecunias EXEGIT, prospexit, 4) atque maritum denique circa cautiones, dum apud eum remanent, DOLVM & DILIGENTIAM, qualem & circa suas res habere invenitur, præstare jussit. Qamvis enim hæc omnia, quæ circa NOMINA uxoris tantum (recte advertente Giphan. in *L. 21. c. de Proc.* & *L. fin. c. de Pactis conventis*, & agnoscente etiam Sandio *III. Dec. Fr. 3.*) a Justiniano constituta sunt, ad alia uxorum bona, quæ (verbis Justiniani de *nominibus* loquentis) EXTRA DOTEM SVNT,

DEDIT,

DEDIT, VT LOCO PARAPHERNORVM APVD MARITVM MANEANT, producamus; quemadmodum ad illa cum a Græcis interpretibus Attaliata in *Synopsi Tit. XXVIII.* Harmenopulo *Lib.IV. Tit.9.* & communi Dd. schola, tum fori usu producta sunt: reliqua tamen bona, extra dotem constituta, quæ marito non dedit, ut paraphernorum loco apud eundem maneant, licet ad hæc nihil attineat Justiniani constitutio in *d. L. fin.*; sunt tamen ex sententia Romanarum Legum paraphernalia bona, utpote quo loco habentur omnia uxorum bona extra dotem constituta. Quod quidem cum negare non potuerint Fontanella de *Pactis Nupt. cl. VI. glos. 2. part. 5. n. 6.* Bachov. ad Treut. *Vol. 1. Disp. 9. th. 7. Lit. f.* Eyben. *d. §. 4.* Lauterbach. *Comm. ff. §. 48. de Jure dotium* paraphernalia bona distinxerunt iterum in PARAPHERNA IN SPECIE & RECEPTITIA, quæ quidem distinctio docendi causa tolerari potuisset, ne inani concertatione verborum tempus absumeretur, dummodo viri docti Formam PARAPHERNORVM IN SPECIE ex novo Justiniani jure recte constituissent, & sententiam d. *L. fin. c. de Pactis conventis* ubique justa interpretatione explicuissent. Censent Cujacius ad *Frag. Ulp. VI.* & Lauterb. *Comm. ff. §. 48. de Jure dotium* parapherna in specie esse, quæ VXOR AD VIRVM DEFERT sive viro EXTRA DOTEM

TEM TRADIDIT; Hotomannus *Disput. de Dote c.1.* quæ extra dotem HABET IN DOMO VXORIS; Bachov. *d. l.* quorum maritus est ADMINISTRATOR LEGITIMVS. Eo autem maxime itum est à Doctoribus, ut parapherna, ea nimirum, quæ a receptitiis distinguunt, existimarent, quæ uxor viro extra dotem marito ADMINISTRANDA COMMISIT: Cornel. van Eck *ad ff. n. 2. de Jure dot.* Stryck. *V. M. ff. n. 2. de Ritu Nupt.* Ummius *d. disp. IX. n. 3.* Sed res expedita non est, nec difficultate caret, ubi decisio Ulpiani ultra fœneratitias cautiones ad cetera parapherna producenda est, ait Justinianus: QVÆ EXTRA DOTEM DEDIT i. e. *tradidit*; VT LOCO PARAPHERNORVM i. e. *ut extra dotem* APVD MARITVM MANEANT. Agit ergo de fœneratitiis cautionibus marito *traditis*, sive quod idem, *volente marito in domum illatis*. Quid enim interest, sive tradantur marito, sive volente eo in domum inferantur? docente Ulpiano in *L. 9. §. 2. de Jure dotium*; sed traditio rerum extradotalium quid infert? utrum *custodiam* sive depositum, an *administrationem?* Etenim spectandus ubique in traditione tradentis finis, qui est in deposito custodia: ac si alia fuerit tradendi causa quam custodiæ, non erit depositum, sed alius contractus deposito forte non absimilis, qui appellatur mandatum *L. 1. §. 11. 12. 13. 14. depositi,*

mo-

monente viro incomparabili Gerardo Noodt *Comm. ad ff. p. 364. Eod.* In ſpecie quam proponit *d. l. fin. c. de Pactis conventis*, is erat uxoris *fœneratitias cautiones* tradentis finis, ut NOMINA PARAPHERNORVM LOCO, i. e. extra dotem, APVD VIRVM MANERENT, i. e. *cuſtodiret*, non ut exigeret & actiones moveret: dedit tamen Juſtinianus viro *exigendi licentiam* nomina, quæ uxor marito dederat, ut apud eundem manerent, *movendique actiones*, ſecus ac olim jure, quod ante *L. fin.* ſervabatur, quo omnino de rebus uxorum extra dotem movere actiones non poterat, niſi DE RATO CAVISSET *L. 3. §. 3. judicatum ſolvi*, Noodt. *Comm. ff. de Procur.* in quam ſententiam cum A. C. 312. Conſtanti & Licinio Cæſare utrisque II. Coſſ. ad Concilium provinciæ Africæ reſcripſiſſet Conſtantinus in *L. 21. C. de Proc.*, non erat neceſſe de eadem cum *L. fin. c. d. Pactis conventis* concilianda laborare, ubi de ſucceſſione jurium conſtabat. vid. Giph. in *d. L. 21.* Si exigenda nomina ſive adminiſtranda dediſſet uxor in ſpecie *d. L. fin.* ſupervacaneum fuiſſet ex lege dare facultatem ſine ratihabitione uxoris, quam jam ex voluntate uxoris ſine lege habuiſſet. Dixi ex Ulpiano idem eſſe ſive tradidit ſive volente marito in domum uxor intulit parapherna, quod quidem non mandatum, ſed depoſitum cenſuerunt JCti Argentoratenſes in Meyeri

Collegio

Collegio ad ff. §. 6. depositi. Videamus facultatem EXPENDENDI VSVRAS CIRCA SE ET VXOREM. Putant vulgo Doctores, in compensationem laboris & molestiæ hoc marito datum, Accursius in *L. fin. c. de Pactis conventis*, Voët. ad *ff.* §. *1. d. jure dot.* circa fructus varie distinguunt Bart. & Sald. in *d. L. fin.* Tabor Collegio Argentor. §. *27. d. jure dot.* Eyben. *Diss. de jure paraphernor.* §. *35.* Sed Cornelius van Eck *ad ff.* §. *2. d. jure dotium* usumfructum Paraphernorum plerumque communem esse putat, nisi aliter convenerit. Nihil hac parte videtur Justinianus, contra pristini juris rationem induxisse. Sane invita uxore expendere usuras potuisse qui affirmaverit, vidi neminem, & negant Huberus *Præl. ff.* §. *14. de jure dotium*, Stryck. *de jure mariti in bonis uxorum c. III.* §. *22.* & Brunnem. *d. L. fin. c. de pactis convent. n. 11.* & leges vetant *L. 8. de pact. conv.* nec sive ex custodiæ sive administrationis lege fas est. Volente sive patiente posse nullus dubitat: Quo jure ergo usuræ, expensæ in communes familiæ usus, consistunt? puto IVRE DONATIONIS, ac simili, quo vir uxoris servis aut vestimentis VSVS in vim donationis valet, *L. 17. ff. d. donat. inter virum & uxor.* quoque non condicuntur cibaria, quæ vir uxoris familiæ jumentisve præstitit, quæ IN VSV COMMVNI erant, *L. 31. §. 10. Eod.* & contra uxor donatam sibi pecuniam

cuniam aut in OBSONIO aut in VNGVENTIS aut in CIBARIIS FAMILIÆ potuit IMPENDERE, *d. L. 31. §. 9.* vid. Noodt *Comm. ff. Eod.* Scipio Gentilis *d. Donat. inter virum & uxor. Lib. II. c. 13.* Hactenus enim inter virum & uxorem admissa quædam *communio*, non vera ac propria, sed quæ *benevolentia & usu finitur*, adeoque nec proprietatem transfert, *nec cum invitis exercetur*, egregie explicante Noodt *II. Probabil. 9.* Quo enim alio quam donationis possunt expensæ in communem familiæ usum consistere in marito administrante jam *jure donationis?* Neque credendus denique Justinianus rectam juris analogiam subvertisse, qua in paraphernis maritus ad rationes reddendas tenetur *L. 95. ff. ad L. Falcid.* atque uxor de his extra dotem illata a marito erogata commemorat etiamsi, ea donante, consumta sint, adversus heredes non nisi in quantum locupletior fuerit, actionem habet *L. 17. c. d. Donat. inter virum & uxor.* Dedit quoque ex lege hypothecam Justinianus, *non à tempore illationis*, quo nomina marito dedit, ut extra dotem apud eundem maneant, ut vulgo traditum a Doctoribus, Eyben. *de Jure Parapbern. §. 27.* Carpzov. *P. 2. c. 14. def. 3.* Stryck. ad *Brunnem. Proc. conc. c. V. §. 5.* Sed quod jam notarunt Accursius ad *d. L. fin.* Sandius in *Dec. Fris. 3.* Argentræus ad *Consu. Britan. art. 40. gl. 1. & 2. in fin.* ex

quo maritus PECUNIAM EXEGIT. LEVEM denique CULPAM præstare jussit, cum alias in deposito lata & in mandato levissima præstanda esset: *ad exemplum dotis*, quod visum Cujacio *ad tit. C. de Pactis conv.* Perezio *ad tit. C. de Pact. convent. n. 11.* Giphanio *in d. L. fin. p. 438.* an ad *exemplum curatoris.* vid. Stryck. *d. c. III. §. 19.* an quod negotium utrius utilitatem concernat v. Salicet. ad *L. fin. de pactis conventis*, aliis dispiciendum relinquo.

† Neque autores veteres neque Romanæ leges unquam agnoverunt receptitia quædam bona a paraphernis distincta, & quamvis sic dici potuerint ipsa uxoris paraphernalia bona a verbo RECIPERE pro *retinere*, posito (ut positum aliquando in libris juris, notante Brissonio in verbo: *recipere*) eoque sensu, & mulier, quando dotem marito dabat, quæ ex suis bonis *retinebat*, nec ad virum transmittebat, RECIPERE diceretur, ideoque & SERVUS RECEPTITIUS in Oratione, Catonis Voconiam legem suadentis, Gellio *XVII. 6.* & Nonio *Lib. 1.* visus sit *proprius uxoris servus*, *quem cum pecunia* RECEPISSET, *nec doti dedisset*, *sed retinuisset*, fuit tamen illa servi receptitii significatio, apud Catonem *insolita*, *obscura* atque *absoleta*, ut inter OBSCURA CATONIS Verrius Flaccus apud Gellium, eumque secutus Festus in *Receptitius servus*: *servum receptitium servum nequam, qui cum venum esset datus, redhibitus*

ob

ob aliquod vitium, recepturusque sit, explicarent, & de ea significatione adhuc Gellii ætate inter viros doctos disputaretur. DOTEM RECEPTITIAM dixerunt veteres juris autores, sed alio sensu, quatenus qui dotem dat, a viro stipulatur, eam post mortem mulieris sibi redditum iri *L. 31. §. 2. de mortis causa donat.* Ulp. *Fragm. VI. 6.* Bona receptitia nusquam dixerunt, neque ea, quæ marito conceduntur sive *custodienda* sive *administranda*, neque *quæ sibi retinet*, nisi quod servum receptitium dixerit Cato sensu obscuro atque minus vulgari, de quo inter ipsos autores Romanos adhuc concertatum sit.

Equidem parapherna, quæ Galli verbo Latino in alienum sensum accepto PECVLIVM appellarunt autore Ulpiano in *L. 9. ff. de jure dotium*, V. Cujacius in *Parat. C. d. pactis conv.* (male Pacius in *d. L. 9.* pro *Gallis* legit *alii*, notantibus Eybenio *Diss. d. jure Paraph. §. 2.* Tabore *Coll. Argent. §. 26. d. jur. dot.*) & PECVLIVM A DOTE DISTINCTVM Papin. in *L. 31. §. 1. de Donat.* & posteriores Græci ἐξώπροικα, Hotom. *de veter. ritu nupt. c. VIII.*, sunt CETERA VXORIS BONA, quæ sibi RECEPERAT, non a mariti sive custodia sive administratione (quo vulgo deflectunt recipiendi verbum) sed A DOTE, dationi enim dotis oppositum apud Gellium, adeoque in legibus hoc nomine demonstrantur a) RES VXORIS EXTRA DOTEM CONSTITVTÆ *L. 9. ad L. Falcid.*

b) SPECIES EXTRA DOTEM a matre filiæ nomine TRADITÆ, de quibus vir cavit: EXTRA DOTEM VSIBVS PVELLÆ SIBI TRADITAS, quibus verbis Papinianus inquit peculium a dote puellæ distingui *L. 31. §. 1. d. Donat.* ibique Cujacius *in Papiniano.* c) RES, QVAS SOLET IN VSV HABERE VXOR IN DOMO MARITI, NEQVE IN DOTEM DAT *L. 9. §. 2. d. jure dot.* d) quas ACCEPISSE MARITVS CONFITETVR, *verbis disertis*, ut in *d. L. 31. §. 1.* & *L. fin. c. de pactis convent.*, vel *tacite*, & QVASI ACCEPISSE testatur subscriptione libelli, sicut vulgo Romæ fieri consuevit, ut mulier res, quas soleret in usu habere in domo mariti, neque in dotem dare in libellum soleret conferre, cum libellum marito offerre, ut is subscriberet, QVASI RES ACCEPERIT, autore Ulp. in *d. L. 9. §. 2.* quem in finem? non quod hoc ageretur libelli oblatione & subscriptione inter virum & uxorem, ut dominium transferretur, sed magis, ut certum sit, in domum ejus illata, ne, si quandoque separatio fiat, negetur *d. L. 9. §. 2.* e) Res, quas non in dotem dat, & sive VOLENTE MARITO IN EIVS DOMVM INFERT SIVE EXTRADIT, ut inter illationem in domum volente marito, & traditionem nihil intersit, *d. L. 9. §. 2.* f) sive CVSTODIÆ MARITI sive IPSI MVLIERI COMMISSÆ sint, *plerumque* enim, non semper custodiam maritus repromittit *d. L. 9. §. 2.*

g) quæ

g) Quæ EXTRA DOTEM IN DOMVM ILLATA, *L. 16. C. de Donat. inter virum & uxorem.* h) Quas EXTRA DOTEM MVLIER HABET, & Græci parapherna dicunt, etiam illæ, in quibus prohibente uxore NVLLAM COMMVNIONEM HABET, adeoque cum eæ, QVÆ MARITO COMMITTVNTVR, & EIVS ARBITRIO GVBERNANTVR (ut bonum est res mulieris, quæ se ipsam marito committit pari ejus arbitrio gubernari), tum illæ, IN QVIBVS PROHIBENTE VXORE NON SE IMMISCET MARITVS nec DEBET SE IMMISCERE *L. 8. c. d. Pactis conv.* i) Uxoris NOMINA i. e. FOENERATITIÆ CAVTIONES, QVÆ EXTRA DOTEM SVNT, & MVLIER MARITO DEDIT, hac clausula: VT LOCO PARAPHERNORVM APVD VIRVM MANEANT, instrumento dotali adscripta, *d. L. fin. de pact. conv.* k) PROPRIVM LVCRVM ANTENVPTIALIS DONATIONIS ex priori matrimonio, quod uxorem secundo viro nupturam OPORTET IN PARAPHERNIS HABERE, *Nov. 97. c. 5.* Igitur, quod nobis probandum sumsimus, receptitia quædam bona distincta a paraphernis veteres non agnoscunt, sed dispertiuntur tantum in dotalia & extradotalia, quomodo & Celsus apud Ulpianum *L. 22. de Relig.* eadem in universum distinxit IN DOTEM & CETERA EIVSDEM BONA i. e. præterdotalia, ad quæ & Ci-

cicero videtur allusisse, cum Oratione Philip. *XI. c.5.* scripsit: *his quasi*, PRÆTER DOTEM, *quam in civilibus malis acceperant, agrum Campanum largitus est Antonius.* Vulgo creditum apud *Liv. XXVI. 50.* verbis Scipionis Africani: SVPER DOTEM, *quam accepturus a socero es, hæc tibi* DOTALIA DONA *a me accedent*, demonstrari parapherna. Sed puto DOTALI DONO ipsam dotem significari, hoc sensu, *super dotem*, puta PROFECTITIAM, *quam accepturus a socero es, hæc tibi* ADVENTITIA *dos a me accedet.* Etenim *nominatim in caussam dotis* Scipio Africanus Allucio juventutis Principi Celtiberorum, pecuniam ad sponsam virginem nobilem redimendam, a parentibus allatam adjecit. Et dos vox origine Græca donum significat, Varro *de Latina lingua IV. 36.* & dotale est, quicquid in dotem datur, ut: dotalis ager, fundus, servus, pecunia, ideoque dotem definit vetus interpres Helenius Acro *ad Horat. Od. III. 24. 21. Dos est donum puellarum nubentium.* Add. Menag. *Amœnit. Jur. C. XXXIX.* Ceterum erant hæc parapherna, bene notante Scipione Gentili *de Donat. inter virum & uxorem c. XIII.* in uxoris dominio, possessione, usu atque administratione, & poterat omnino de iisdem quomodocunque vellet disponere, & cum marito contrahere, ut is pro natura negotii, quod contractum esset, sive mandati sive depositi *L. 9. §. 2. de jure dot.* sive negotiorum gestorum *L. 47. ff. de Donat.*

Donat. inter virum & uxor. sive alia qualibet ratione teneretur, ut quivis alius, cum quo ejusmodi negotium contractum gestumve esset, nisi quod, quæ Justinianus A. C. 530. Lampadio & Oreste Consulibus, circa NOMINA MARITO DATA, VT EXTRA DOTEM APVD EVNDEM MANEANT, constituit *L. fin. de Pactis*, marito & uxori sint *peculiaria*, & in hac specie quoad *exigendi* potestatem, *hypothecam* & *culpæ præstationem* sint contra veteris juris rationem noviter inducta. Interim quæ actiones uxori de paraphernis adversus maritum dantur, docet Ulp. *d. L. 9.* §. 2. nimirum, 1) si sic marito dentur, ut *ejus fiant*, i. e. ut *dominium transferatur*, non vindicari sive dotis actione petuntur, sed CONDICVNTVR. 2) SI CVSTODIA MARITO COMMITTITVR, DEPOSITI vel MANDATI AGITVR, pro negotii cujusvis indole. Habent enim magnam affinitatem inter se mandatum & depositum, ut aliquando inter ipsos veteres quæsitum fuerit, quale negotium intercesserit, *L. 1. §. 13. depositi*, & monuerit Ulp. *L. 8. pr. ff. Mand.* uniuscujusque contractus initium spectandum esse & causam. Et Mandatum habet custodiæ legem, sed plenius est *d. L. 1. §. 11. & 12. ff. depositi*, vid. Voët. *Comm. ff.* §. 2. *Eod.* 3) SI MINVS, nimirum SI CVSTODIA NON COMMISSA, agetur RERVM AMOTARVM, si animo amoventis retineat, ad AD EXHIBENDVM, si non

amovere eas connisus fuerit. Quæ quidem omnia probant id, cujus causa hæc disputatio suscepta, ex custodia sive administratione, paraphernorum formam æstimandam non esse.

§. VIII.

Continuatio argumenti.

Videamus nunc juris diversitatem circa Bona uxoris, *dotem* & cetera bona sive *parapherna* inter uxorem tantummodo & eam, quæ est in manu. De dote probatum est Cap. *III.* §. *8.* & *14.* ex Cic. *Top. IV.* cum mulier viro in manum convenit, ejusdem dotis nomine fieri omnia. Equidem putat Scipio Gentilis *de Donat. inter virum & uxorem Lib. 1. c. 6.* quamvis uxor in manum viri convenisset, hoc effectu, ut ei jus sui heredis in bona mariti, & vice versa in bona uxoris viro tribueretur: non tamen propterea ita commixta fuisse uxoris & mariti bona, ut nulla esset juris inter illa distinctio atque dominii. Etenim antiquissimis temporibus maritum lucrari dotem propter uxoris adulterium potuisse, & uxorem, quæ repudiata vel divortisset, dotem suam a marito recuperare, indeque, posteaquam divortia fieri cœpissent, cautiones primum in Rempublicam introductas esse. Præterea si filiafamilias nupta esset, cum in mariti potestatem non transiret, sed in patris potestate maneret, eandem nec bona sua in maritum ita transferre potuisse, ut juri parentum præjudicaret,

nec

nec pater dotem, quam pro filia dedisset, cum ea amplius haberet communem, *L. 1. ad exhib. L. 2. de jure dot.*; Et quod ad Ciceronis locum attineat, eundem longe aliter interpretatum esse Hotomannum, quam Boëthium. Postremo si ob unam atque solam conventionis in manum causam donatio inter virum & uxorem fieri haud potuisset inepte Antoninum veteresque Jurisconsultos alias dixisse, quas *L. 1. & L. 3. pr. ff. de donat. int. vir. & uxor.* attulerunt.

Sed multis in rebus offensum est a doctissimo Consulto, neque videtur potestatem conventionis in manum recte cognovisse. Primo verum non est, conventionem in manum jus sui heredis marito tribuisse, vid. *c. III. §. 8. 9.* & de cautionibus, de dote in casum divortii restituenda, quibus prospici etiam uxori in manum convenienti potuerit *c. III. §. ult.* dicere antevertimus. Porro autore patre in manum convenisse, e patrio jure exiisse & in mariti potestatem transiisse manifestius est, quam ut ostendi amplius necesse sit, & quod de dote parenti cum filia communi *ex d. L. 1. ad exhibendum, L. 2. d. jure dot.* affertur, nihil attinet ad hanc uxorum formam, sed pertinet ad uxores tantum. Denique & donationes inter virum & uxorem, cum in manum conventum est *ex patrii juris ratione*, non possunt consistere. vid. *Cap. III. §. 10:* cum sine in ma-

num conventione nuptiæ contrahuntur moribus Romanorum, ex iis *caussis*, quæ *in oratione Antonini* apud Ulp. in *d. L. 1. pr. de Donat. inter. vir. & uxor.* adductæ, prohibentur. Et sane nullo negotio has, quas movit difficultates superare Scipio Gentilis potuisset, si duas uxorum formas recte distinxisset.

Interim censuit Hotomannus *de dote c. 1. §. 5.* his verbis: *Dotis nomine, Ciceronem Top. IV. liberius abusum fuisse, cum dotem pacto convento habitoque tractatu constitui oportuerit,* atque hæc: BONA MULIERIS OMNIA FIERI DOTIS NOMINE, dixisse videri pro: *æque fieri, ac si mulier doti nominatim ea dixisset.* Sed intellexisse Ciceronem, bona omnia *nominatim* marito *dicta*. Et hæc verba: DOTIS NOMINE esse ex ipsa formula dotis dictionis, supra *c. III.* ostensum est.

In uxore tantum ita jus erat, ut si *morte* mulieris diremtum matrimonium esset, profectitia dos in filiæ amissæ solatium, sive in potestate fuisset, sive emancipata, ad patrem, à quo profecta, ipso jure reverteretur, quintis in singulos liberos relictis in infinitum, Ulp. *Fragm. 6. §. 4. L. 6. pr. de jure dotium. L. 59. ff. de solut. matrimonio,* nisi aliter convenerit, *L. 26. L. 12. ff. de Pact. dotalibus,* Noodt. *Comm. ff. de jure dot.* Schulting. *Jpr. Antejustin. p. 582.* Retentionem ratione liberorum sustulit Justinianus *L. VII. §. 5. c. de Rei uxoriæ act.* ut adeo hodie

die pater, etiam filia relictis liberis decedente, totam repetere dotem possit, quamdiu consuetudine aliud inductum non rite probatur, sic respondente Senatu Hanov. in *Causa D.C. contra J. B. d. XX. Dec. A. 1723.* & Judicio Provinciali Aulico Hanoverano *sententiam* eandem *confirmante d. VIII. Oct. A. 1725.*

In adventitia dote vero ita obtinuit, ut semper apud maritum remaneret, præterquam si is, qui dedit, ut sibi redderetur, stipulatus fuit, quæ dos specialiter *receptitia* dicitur, Ulp. *Fragm. V. §. 5.* Si *divortio* solutum matrimonium, si quidem sui juris erat, ipsa habebat dotis repetitionem; si in potestate patris, pater adjuncta filiæ persona, habebat actionem, ut non intersit, adventitia dos fuerit an profectitia, Ulp. *Fragm. VI.* ut tamen & retentiones ex dote fierent, aut propter liberos, aut propter mores, aut propter impensas, aut propter res donatas, aut propter res amotas, de quibus videndus Ulp. *Fragm. VI. §. 9. & sqq.*

In uxore contra, quæ viro materfamilias fuisset, videamus, ne non post filiæ mortem ad patrem reverti dos profectitia potuerit, nec ipsa uxor dotis repetitionem habere, nisi forsan intervenientibus his, quas dixi, cautionibus, cum semel dominium dotis, idque irrevocabile marito ex vi & potestate conventionis in manum sit adquisitum, ideoque male omnino habet, quod Hotomannus *d. c. 1. §. 1.* arbi-

arbitratus est, verba Ciceronis in Topicis, omnia, quæ mulieris fuerunt, marito dotis nomine fieri, de solo constantis matrimonii tempore intelligenda, nec ad hereditatem producenda esse.

Parapherna & quæ cum his eadem sunt, Receptitia bona habere potuit uxor tantum: non æque materfamilias, quæ, cum in manu esset, nihil proprium potuit possidere, (nisi quod peculiare idque profectitium aliquando habuisse ex Plauto observaverint viri docti, & à nobis notatum sit *c. III.* §. *9.*) nec tanquam filia in potestate cum patre puta marito harum rerum, quas extra dotem eidem acquirit, nomine habere, sive rei vindicationem, sive condictionem, sive depositi, sive mandati negotiorumque gestorum, sive rerum amotarum, sive ad exhibendum actionem, quæ alias ***uxori tantum*** pro negotii cujusque indole dantur.

† Franciscus Hotomannnus ad *tit. Instit. de SC. Tertulliano*, Uxoris, QVÆ IN MANVM CONVENIT, hæc jura fuisse existimavit, 1) ut IN VIRI FAMILIAM TRANSIRET, & hoc illud esse, quob JCti dicere soleant NVBERE IN FAMILIAM, L.15. de *Condit. & Demonstr. L. 21. quando dies leg.* 2) Ut bona TACITO IVRE in maritum transirent, Cic. *in Top.* L. 15. *d. Adopt.* 3) Ut in viri familia IVRA SVITATIS & CONSANGVINITATIS nancifcere-

ſceretur. 4) Ut maritus ei INTESTATÆ HERES fieret, magis re quam jure, & non multo ſecus ac pater in filii *peculio;* ADVENTITIAM enim DOTEM ſemper retinuiſſe; profectitiam, ſi pater mulieris non ſupereſſet. 5) Ut viro ſacrorum & bonorum ſocia eſſet, maritus *conſtante matrimonio* DOTIS DOMINVS jure Quiritium fieret, quamvis *vere & proprie in mulieris bonis* maneret *L. 30. C. de jure dot.* PARAPHERNA vero jure optimo *in ſuis bonis retineret, L. 9. §. 2. d. jur. dot.*

Econtrario jura uxoris, QVÆ IN MANVM NON CONVENIT, hæc eſſe cenſuit, ſi *filiafamilias* eſſet, ut ſacrorum ſuitatis & conſanguinitatis jura in patris familia retineret, nec liberi ei inteſtatæ ſuccederent, ſed patria poteſtas ejus hereditatem tanquam peculium abſorberet; ut plenum jus in bona ſua omnia atque adeo in dotem, adminiſtratione excepta, retineret: ſi morte patris vel *emancipatione ſui juris fieret*, materfamilias dici inciperet, & tum de ſua dote & reliquis bonis teſtari poſſet. Vide hæc omnia Hotomannum illic copioſius diſſerentem. Non tamen in uxore, quæ in manum convenit, ubique recte rationes inivit Hotomannus.

IN FAMILIA ſive IN FAMILIAM NVBERE, in *d. L. 15. de cond. & demonſtr.* & *L. 21. ff. quando dies legator.* eſt in *gentem* v. g. Juniam nubere, ut intelligatur familia non proprio jure, ſed plurium perſonarum, quæ ab ultimi genitoris

nitoris ſanguine proficiſcuntur, Ulp. *L.* 191. §. 4. *d. V. S.* utramque familiæ appellationem commiſcuit Hotomannus,& loquitur *d. L.* 15. de uxore tantum, quæ etſi non eſt in familia proprio jure ſive poteſtate mariti, quo minus tamen in gentem ſive familiam nubat, nihil impedit.

Quæ de adventitia & profectitia dote atque paraphernis bonis addidit Hotomannus ad uxores, quæ ſine in manu conventione habebantur, debuit referre, cum in manum uxor convenit, dotem & parapherna ſtatim pleniſſimo jure marito, cujus in poteſtate eſt, adquirit.

§. VIII.

De ſucceſſionibus conjugum.

Videamus jam de SVCCESSIONIBVS CONIVGVM, deinde matris & liberorum, CVM IN MANVM CONVENTVM ERAT, uxor in ſui heredis locum veniebat, & marito erat ipſo jure heres. vid. *c. III.* §. 14. contra marito ex patrio jure adquirebantur omnia, ut per rerum naturam uxor, ſi ante virum, cujus in poteſtate erat, moreretur, ſive hereditatem ſive heredes omnino habere non poſſet. Cum *ſine in manum conventione matrimonium tantum* contractum erat, civili jure nec vir nec uxor ſibi invicem ab inteſtato potuerunt ſuccedere. Namque *Lex XII. Tabularum* in ſucceſſione legitima primo loco vocabat SVOS heredes; ſi ſui heredes non erant, ADGNATOS; ſi nec agnati erant, poſtremo GENTILES. Ulp. *Fragm.*

Fragm. XXVI. *Prætorio jure* tamen, quo in ab inteſtato ſucceſſionibus primo loco liberi, ſecundo loco agnati, tertio loco cognati, demum poſt cognatos vir & uxor, BONOR. POSS. VNDE VIR ET VXOR, vocantur, potuit ſive vir & uxor ad alterius conjugis legitimam hereditatem venire. *L. 1. ff. Si Tabul. Teſtament. nullæ*, *L. un. ff. unde liber. L. 1. ff. quis ordo in bonorum poſſ.* adeoque bonorum poſſeſſionem unde liberi *ſolis uxoribus tantum neceſſariam* fuiſſe, non æque uxori, quæ in manu erat, utpote ex Lege XII. inter ſuos ſuccedenti, recte notatum a viris egregiis Ægidio Hortenſio, Mureto *§. 3. J. de Bonor. Poſſ.* & pleniſſime expoſitum a Petro Fabro *II. Semeſtr. 12.* MVLIER quæ in MANV mariti erat, liberis, cum quibus in una parentis familia ac poteſtate erat ut CONSANGVINEA, quæ inter adgnatos primum locum occupat, legitimo jure ſucceſſit. vid. *c. III. §. 17.* emancipatis, qui adgnati eſſe deſinebant, non potuit *civili jure* ſuccedere, *prætorio* tamen *jure*, poſt ſuos & agnatos ad emancipatorum legitimas hereditates INTER COGNATOS fuit invitata. Mater quæ SINE IN MANVM CONVENTIONE VXOR TANTVM habebatur, quoniam conſanguinea non erat, quam faciebat in manum conventio *civili jure* inter adgnatos ad liberorum legitimas hereditates venire non potuit, Ulp. *Fragm. XXVI. §. 8. pr. t. d. SC.*

SC. Tertyll. At quamvis *prætorio jure* vocaretur, gradus tamen fecerat prætor primum liberorum, deinde legitimorum sive adgnatorum, demum cognatorum. *L. 2. L. 3. Unde cogn. pr. t. d. SC. Tertyll.*

Sed CLAVDIVS matri ad *solatium liberorum amissorum* legitimam eorum detulit hereditatem, *§. 2. J. Eod.* Postea autem ex SC. TERTYLLIANO, facto A. C. 158. Tertullo & Claudio Sacerdote Consulibus, Noris. *Ep. Cons. p. 454.* ab Antonino Pio, qui ex Adoptione Hadriani dictus Hadrianus, Cujacius *§. 2. J. ad SC. Tertyll.* Reland. *Fast. Consul. p. 26.* non quidem indistincte, sed sub variis conditionibus, MATER, (puta QVÆ IN MANVM NON CONVENERAT, notantibus Viris egregiis Schultingio *Jpr. Antej. p. 668.* Ranchino de *Succ. ab intest. §. 12. n. 1.* Petro Fabro *II. Semestr. 12.* Jano a Costa, Ægidio Hortensio ad *tit. Instit. de SC. Tertyll.*) si jus liberorum habebat, ingenua trium, libertina quatuor, legitima filii (& filiarum *§. 2. t. d. SC. Tertyll.*) heres facta: si tamen ei filio neque suus heres sit, quive inter suos heredes ad Bonorum poss. a Prætore vocentur, neque pater, ad quem Lege hereditas Bonorumve Poss. (unde legitimi, si in emancipatione manumissus extiterit, vel unde decem personæ, si in emancipatione manumissus haud extiterit, Cujacius & Schulting. ad *Fragm. Ulp. XXVI. p. 8.*) pertineat, neque

que frater consanguineus adsit, Ulp. *Fragm. d.* §. 8. Quæ quidem cum satis exposita sint a Petro Fabro, Jano a Costa, Ægidio Hortensio citatis locis, & accuratissime ab Antonio Schulting. ad *Fragm. Ulp. XXVI.* hic nihil addo. SC. Tertullianum quoad matris legitimam successionem insecutæ Principum Constitutiones in *L.* 1. 2. *& pen. C. Theod. de legit. her. L. ult.* C. ad *SC. Tert.* §. 4. *tit. eod.* demum Justin. *Nov.* 22. *c. pen. Nov.* 118.

Habuimus de Successione matris: videamus de SUCCESSIONE LIBERORUM LEGITIMA IN MATRIS HEREDITATES.

Cum in MANUM CONVENERAT UXOR, liberi cum matre ejusdem potestati sive parentis sive mariti mortis tempore subjectæ, erant cum eadem consanguinei: heredes suos non poterat habere femina, ideoque quando mater moreretur, nec pater amplius erat in vivis, liberi *adgnationis* sive *consanguinitatis jure* matri succedebant; si essent emancipati post consanguineos atque adgnatos, Bonor. possessione, *unde cognati* vocabantur. Cum SINE IN MANUM CONVENTIONE UXOR TANTUM habebatur, matris intestatæ hereditas ad liberos non poterat pertinere non jure suorum heredum, utpote quos non habebat, Ulp. *Fragm. XXVI.* §. 7. nec Bonor. Poss. unde liberi, quæ suis & iis tantum dabatur, qui sui mansissent, nisi emancipati, Schulting *ad d.*

 §. 7.

§. 7. *p.667*. nec jure consanguineorum, quos facit in manu conventio: sed tamen postea Impp. Antonini & Commodi Oratione in Senatu recitata (quod insecutum SC. ORPHITIANVM *pr. J. de SC. Orphit.* A. C. 178. Juliano Rufo & Gavio Orfito Consulibus factum, vid. Noris. *Ep. Consf. 461.* Reland. *Fastis Consular. p. 51.* & Schulting. *Jpr. Antej. p. 668.*) id actum est, verbis Ulp. *Fragm. XXVI.* §. 7. VT SINE IN MANV COVENTIONE *matrum legitimæ hereditates ad filios pertineant, exclusis consanguineis & reliquis adgnatis.* Sub filiis comprehendit filias. Constitutionibus hoc extensum ad nepotes ac pronepotes, *§. 1. T. de SC. Orph. L. 11. c. de suis & Legit.* Schulting. ad *d.* §. 7. Janus a Costa ad *d.* §. *1. J. d. SC. Orph.*

§. IX.

De uxore injusta.

DE VXORE INIVSTA, de qua ex instituto dicendum nunc est, non una interpretum sententia. Injustam uxorem Cujacius *III. Obs. 5.* censuit, quæ non ex voluntate parentum ducta, & hoc, inquit, meo judicio proprium exemplum est injustæ uxoris, de qua in *L. 13. ff. ad L. Juliam de Adult.*, quam jure viri accusare potest. In aliam vero sententiam deflexit Cujacius *VI. Obs. 16.* ubi injustam uxorem putat, quæ non solenniter accepta aqua & igni. Nam vereor, ait, ne definitionem alio loco traditam evertat *d.*

L. 13.

L. 13. §. 6. quem ſequitur Dionyſius Gothofr. ad *d. L. 13.* Rævardo *IV. Variorum 16.* injuſtæ videntur uxores, quas ſola conſuetudo uxores facit, & cum quibus jus Connubii non eſt, quæque legibus prohibentur, ut dubium non ſit, quin illa uxorum ſpecies, quæ matresfamilias non eſſent, ad uxores injuſtas referenda ſit. Pitiſco videtur injuſta uxor, quæ non rite per aliquam in manus conventionem domum ducta: Petro Fabro *II. Semeſtr. 23.* quæ matrona quidem, ſed cum viro eſſet ſine legibus, quod in mariti manum non conveniſſet, & uxor tantummodo haberetur: Ulrico Hubero *Parte II. Lib. 1. Digr. 17.* videtur injuſta uxor, quæ in manum viri non convenit, non quæ uſu habita, ſed quæ rite uſurpatum iſſet, vel quæ ſolo conſenſu affectuque maritali ſine deductione viri uxor eſſet: Antonio Goveano Lib. *II. d. Juriſd.* uxor tantummodo apud Cic., in cujusque conſuetudine apud Modeſtinum in *L. 24. d. R. N.* nuptiæ intelliguntur: Guidoni Pancirolo *II. Variar. Lect. 126.* cum non ſolenni uſu contractum matrimonium, ſecus, ſi ſolenne per coëmtionem matrimonium factum eſſet. Denique Budæus *Annot. poſter. ad Pand. ad L. Jul. de Adult. p. 61.* intellexit juſtam uxorem, quæ palam in viri manum convenit non occulto conſenſu; contra uxorem injuſtam pallacam uxoris numero locoque habitam. Quorum quidem ſententias,

tias, licet sæpius coincidant, quoniam tamen alia atque alia ratione expediunt, existimavimus singulas esse recensendas.

§. X.

Injusta est uxor, quæ CONTRA LEGES NVPTA, Macer. *in L. 24. §. 3. ff. ad L. Juliam de Adult.* quæ CONTRA MANDATA IN MATRIMONIVM CONVENIT, Ulp. in *L. 17. pr. ff. de Actione rerum amotarum*, sicuti e contrario ex definitione Justiniani *pr. J. de Nuptiis* IVSTÆ sunt NVPTIÆ, quas inter se contrahunt CIVES ROMANI, qui secundum LEGVM PRÆCEPTA coëunt, quæ in Caji *Inst. Lib. 1. Tit. 4.* dicuntur LEGITIMÆ NVPTIÆ, puta si Romanus Romanam nuptiis intervenientibus vel consensu uxorem ducat. Equidem etiam injusta uxor LIBERORVM PROCREANDORVM CAVSA habetur, quo quidem matrimonii fine & hæc VXOR demonstratur, & a concubina separatur: at vero quoniam non honore & affectione maritali, nec secundum præcepta legum habetur, injusta est uxor. Scio ab Ulpiano in *L. 17. pr. de Actione Rer. amot.* dici, *cessare matrimonium in uxore injusta, ea quæ tutori vel contra mandata nupsit.* Sed quod superius notatum observatumque a viris eruditis, matrimonium hoc loco, pro matrimonio civili, legitimo sive justo, quod juxta mandata legum contractum accipitur, cum alibi matrimonii appellatione,

matri-

matrimonia ex gentium jure sine connubio, Papin. *coll. LL. Mos. & Rom. IV. tit. IV. de Benef. 17.* sive omnia matrimonia significentur, Ulp. *L. 13. §. 1. ad Leg. Jul. de Adulter.* In quam rem optime Gerard. Noodt. *Comm. ff. d. R. N. p. 498. atqui non est matrimonium,* inquit, *quodcunque sit adversus leges initum. Nempe* NON *est* IVSTVM: *sicut* NEC IVSTVS VIR NEC IVSTA VXOR *quatenus ad* IVRA CONIVGVM LEGITIMORVM, *sed nihilominus dicitur* INIVSTVM MATRIMONIVM *L. VII. ff. unde vir & uxor.* INIVSTVS VIR & INIVSTA VXOR *L. 13. §. 1. L. 24. ad L. Juliam de Adult. Igitur quidnî duret vitæ societas, etsi nullo jure? Sed id liquet ex Callistrati L. 37. §. ult. ad Munic.* nec *alio intendit Ulp. L. 27. d. R. N.* Species uxoris injustæ ex norma legum Romanarum evolvit A. Faber *Jpr. Papinianea Tit. IX. de Nupt. Tit. IX. Princ. 1. a p. 334. usque ad p. 359.* atque in universum præcepta legum, juxta quæ coire liberorum procreandorum causa debuerunt ii, quibus CONNVBIVM sive *facultas jure ducendæ uxoris* esset, ad IV. capita reduxit Gerard. Noodt. *Comm. ff. de Ritu nuptiar.* ut primum *ætatem* nuptiis convenientem definiat; secundum *parentum Consensum*, quorum in potestate sint; tertium *Consensum contrahentium* exigat; quartum nuptias vetet contrahi ob *cognationem, affinitatem aliamve causam,* puta *dignitatis,* qua Le-

 ge

ge Julia Papia Senator libertinam, aut quæ artem ludicram fecerat, ducere prohibetur *L. 44. ff. d. R. N. ætatis*, qua ex eadem L. Julia ætas maris sexagenarii & feminæ quinquagenariæ matrimonium impedit, Ulp. *Fragm. XVI. tutelæ* & *curæ*, quibus tutori vel curatori interdictæ nuptiæ cum pupilla vel adulta *L. 60. d. R. N.* ob *metum potentatus*, propter quem præsidibus provinciarum mulierem inde oriundam, durante administratione, uxorem ducere haud licet *L. 38. de R. nupt.* Effectus nuptiarum injustarum is erat, ut nullæ omnino legitimæ sive justæ nuptiæ, nec dos aut donatio propter nuptias intelligerentur §. *12. J. de nupt.* adeoque 1) liberi ex injusta uxore suscepti *non in patris potestate nascerentur*, sed matrem sequerentur. 2) Ut cum eadem non ageretur amotarum sed *furti actione, L. VI. pr. ff. d. actione rerum amotarum.* 3) Ut si matrimonium moribus legibusque constaret, donatio inter virum & uxorem non valeret. Sed si aliquod impedimentum interveniat, ne sit omnino matrimonium, *donatio valeret L. 3. §. 1. d. Donat. inter virum & uxor.* 4) Ut *bonorum possessio unde vir & uxor* in matrimonio injusto non detur *L. VII. ff. unde vir & ux.* 5) Ut quamvis *Lex Julia de adulteriis ad omnia matrimonia* sive justa sive injusta pertineret, adeoque accusationem instituere viro non negatum esset, Ulp. *L. 13. §. 1. ad L. Jul. de Adult.*,

Adult., tamen *non jure mariti*, sed *jure extranei* tantum, quo quivis extraneus, accusare posset, Papinianus *Coll. LL. Mos. & Rom. IV. 5.* ibique Schulting. *p. 749.* Namque aliud est *jure mariti*, sive *jure viri* accusare, aliud *jure extranei.* Jure mariti tantum accusare vir justus potest intra sexaginta dies, *L. 4. ff. §. 1. ad L. Jul. d. Adult.* Cujacius *XX. Obs. 15.* & sine calumnia pœna vinci, Paulus *Coll. Mosaicar. & Rom. LL. IV. 4.* ibique Pithoeus. Post maritum & patrem demum *extraneis* accusandi facultas conceditur, quibus post elapsos sexaginta dies, quibus vir justus jure mariti accusare potest, reliqui quatuor menses utiles ad accusandum dantur, sic tamen, ut si vincantur, calumniæ pœna possint puniri, *d. L. 4. §. 1.* & Paulus *IV. 4.*

§. XI.

Ceterum quæ aqua & igni accepta non est, si alias matrimonium moribus legibusque constat, justa est uxor. Neque enim celebritas nuptialis, quæ pro arbitrio nubentium abesse sive adesse potuit justas nuptias unquam fecit, nec quod alibi *III. Obs. 5.* dederat exemplum injustæ uxoris non ex voluntate parentum ductæ, ut visum Cujucio, evertit, *L. 13. §. 6. ad L. Jul. de Adult.*, qua Ulpianus docet, jure viri accusari non posse filiamfamilias, cujus conjunctioni pater postea concessit, si antea adulterium commisisse dicatur, nempe *jure*

mariti sive *viri* accusari non potest, quoniam eo tempore, quo adulterium commisisse dicitur, pater conjunctioni nondum concessit, adeoque injusta est uxor, quæ non jure viri sed extranei accusatur. Schulting. *Jpr. Antej. p. 749.* vid. Noodt. *Comm. ff. de Ritu Nupt. p. 488.* Quod placuit Rævardo injustam uxorem esse, cum qua Connubium non est, quæque legibus prohibetur, probo, quod addit eandem videri, quæ viro materfamilias non esset, quamque sola matrimonii consuetudo uxorem facit, ei negamus. Etenim utraque sive ea, quæ consensu expresso uxor habetur, sive ea, in cujus consuetudine nuptiæ intelliguntur, justa est uxor, quam, si adulterium committit, jure mariti vir accusare potest. Sane in Bonorum possessione unde vir & uxor, quæ solis uxoribus sine in manu conventione habitis, necessaria erat, uxoribus in manu non æque, utpote in locum sui heredis venientibus, ipsoque jure succedentibus, justum esse matrimonium oportet, ut si injustum fuerit matrimonium, nequaquam bonorum possessio peti poterit, verbis Ulp. *in L. VII. ff. unde vir & uxor.*

Quæ cum ita sint, & uxor tantummodo, eaque quæ rite usurpatum ivit; & sive solo consensu sive sola matrimonii consuetudine habetur, coeant secundum præcepta legum, non potuit non sententia sive Pitisci sive Petri Fabri

Fabri sive Huberi atque Goveani displicere. Etenim verissime Hotomannus in *Comm. Verbor. juris V. Uxor: Absurdum esset,* inquit, *existimari divisionem uxorum, quam Cicero in Topicis tradidit, ut aliæ matresfamiliæ dicantur, aliæ tantummodo uxores habeantur, ad illam justæ & injustæ uxores* ABVSIONEM *pertinere - - - Quod igitur Ulp. de justa & injusta uxore dixit, non divisioni, sed* ABVSIONI *potius tribuendum est.*

Guidoni Pancirolo, opinanti injustam esse uxorem, cum non per coëmtionem, sed usu matrimonium contractum esset, posteaquam probatum usu etiam in manum uxores convenisse æque ac coëmtione, nihil referre necesse est. Et de pellice, quam ut injustam, ei quæ in manum convenit, opposuit Budæus, §. *sequenti* dicetur.

§. XII.

De concubina & pellice.

Dicamus tandem de Concubina & Pellice. Concubina ab uxore SOLO DILECTV separatur, Paulus *II. Sent. 20.* atque concubinam oportet ex SOLA ANIMI DESTINATIONE æstimari, *L. 4. C. de Concubinis*, perpendendumque est, utrum AFFECTIONE MARITALI sive AFFECTIONE VXORIS, an AFFECTIONE CONCVBINÆ, habita *L. 31. de Donat. L. 3. de*

Donat. inter virum & uxor. quæro, quæ destinatio animi in habenda concubina sive affectio concubinæ? quæ affectio maritalis sive affectio uxoris?

In utraque & uxore & concubina interveniebat CONSVETVDO, *L. 34. pr. ad L. Juliam de adult. L. 24. ff. d. R. Nupt.* & hactenus coincidebant uxor & concubina observante Hotom. Obs. *V.* §. *6.* Sed in concubina nihil ulterius, in uxore omnino quid amplius, nimirum CONSVETVDO MATRIMONII CAVSA, *d. L. 34.* ANIMI DESTINATIO AD LIBEROS PROCREANDOS DIRECTA. Ea enim animi destinatione habendi uxorem liberorum procreandorum causa ex fine matrimonii, quem ad solam liberorum procreationem respicere Romani crediderunt, Noodt. *Comm. ff. de R. N. p. 495.* sive maritus sive uxor atque matrimonium demonstrabatur. Atque hæc ipsa CONSVETVDO LIBERVM QVÆSENDVM GRATIA erat CONSVETVDO MATRIMONII CAVSA, eaque, quam dixi, AFFECTIO MARITALIS, AFFECTIO VXORIS. Contra cum in concubinatum se dabat femina, COIBATVR quidem CONSVETVDINIS CAVSA, sive ut est in *d. L. 34.* VIR MVLIEREM CONTINEBAT CONSVETVDINIS CAVSA, non matrimonii i. e. dilectus sive animi destinatio ad solam


con-

confuetudinem erat directa, non ad liberorum procreationem, eaque erat AFFECTIO CONCVBINÆ, ut hinc *cujusque ætatis* adeoque quinquagenaria haberi concubina poffet, uxor non poffet. *L. 1. §. ult. de Conc.* & Hotomannus *V. Obf. 6.* Brouwer. *de jure Connub. Lib. 1. c. 27. n. 23.* Non *ex tabulis nuptialibus*, quæ nuptias non faciunt, fed PERSONIS COMPARATIS & VITÆ CONIVNCTIONE CONSIDERATA PERPENDENDVM esfe MARITALEM HONOREM Papinianus refpondit in *L. 31. pr. d. Donat.* in quam vid. Giph. *Lectiones Altorph.* & Cujac. *Papin.* & fi honeftæ vitæ & ingenuam mulierem in concubinatu habere velit (explicat Noodt. *Comm. ff. de Concubinis* ex Tacito *L. II. Annal. 85.* de illa, cujus pater aut avus eques Romanus fuiffet) fine teftatione hoc manifeftum faciente, fine matrimonio fivè palam coram vicinis aut aliis teftibus declarato, fe illam domi habere liberorum procreandorum gratia, Noodt *d. l.* non conceditur, fed neceffe eft ei, vel uxorem eam habere, vel hoc recufantem ftuprum cum ea committere, verbis Marciani *L. 3. pr. ff. de Concub.* De differentiis uxoris & concubinæ vid. Hotom. *V. Obf. 6.* Difput. *Jur. civ. de fpuriis c. II. Tom. I. Operum p. 521.* Ant. Faber *III. Conject. 14.* Brouwer. de *jure Connub. Lib. I. c. 27. n. 23.*

Pellex

Pellex eſt, quæ corpus miſcet cum illo, qui uxorem ſive in manu, Gellius *IV. 3.* ſive ſine in manum conventione habet, Paulus *L. 144. d. V. S.* Feſtus in *Pellices*, neque a viro eo tempore, quo quis uxorem haberet, concubina potuit haberi, Paul. *II. Sent. 20.* atque pellex, Gellio teſte, probroſa habita eſt, ut tangere aram Junonis ex Lege Numæ prohiberetur, Feſtus *d. l.* Apud antiquos & alios quosdam concubinam hoc nomine appellatam teſtatur Paulus *d. L. 144.* vid. Mænagius *Amœnit. C. XXXIX.*

F I N I S.



INDEX



INDEX AVCTORVM.

num

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

aut

Fla-

Lex

Manus

Uxorum

Explicit.

Sphalmata typographica.

p. 3. *indicem* pro ndicem. p. 12. *demonstrabunt* pro demonstrabit. p. 30. *Flaminicam* pro Flaminis eam. p. 33. *Flaminia* pro Flamina. p. 35. *qui* pro quis. p. 35. *Paleothus* pro Palæologus.. p. 35. *appellavit* pro appellarunt. p. 45. omnia tutore *autore* pro omnia tutore. p. 66. *per eam* pro per ea. p. 80. *in nepotis* pro id nepotis. p. 98. *fuisse* pro fuisset. p. 121. *cibo* pro cico. p. 124. *dextram* pro dextrum. p. 133. *ingrederentur* pro ingrederetur. p. 137. *dextrum* pro dextram. p. 138. *tunitru quod* pro tonitru quæ. p. 139. *soricum* pro sericum. p. 167. *asino* pro Asimo. p. 171. *ante tempora Augusti* pro ante tempore. p. 177. *agnoscant* pro agnoscunt. p. 212. *obligatione nexu* pro obligationis nexu. p. 222. *Gellius* pro Pellius. p. 280. *usurpatam* pro usurpatum uxorem. p. 311. *maritum* pro moretum. p. 315. *παρὰ φερνὴ* pro *πατὰ φέρνη*.



